P. RUTILII LUPI

DE

FIGURIS SENTENTIARUM

ET

ELOCUTIONIS

LIBRI DUO.

IN USUM SCHOLARUM

EXPLANAVIT

FRIDERICUS JACOB,
DIRECTOR LUBECENSIS.

LUBECAE
APUD BIBLIOPOLAM DE ROHDEN.
(DE ROHDEN ET BRUHN.)

1837.

Lubecae, typis H. G. Rahtgens.

AUGUSTO LUDOVICO GUILLELMO
JACOB

FRATRI OPTIMO.

Traditnro mihi hunc librum Rutilii omnibus, quibus erudiendae iuventutis munus mandatum est, auctoritatem praescribere liceat viri prudentissimi, *D. Ruhnkenii.* Is enim praefationem huic ipsi scriptori egregie a se et multipliciter emendato praemissam his verbis exorditur: *Non Figurarum ratio, sed pulcerrima maximorum Oratorum exempla, quibus intuendis imitandisque plus ad eloquentiam proficitur, quam omnium Rhetorum praeceptis cognocendis, hanc apud nos vim habuerunt, ut, sepositis tantisper aliis, quae in lucem edere parabamus, Rutilio temporis aliquid impertiremus. Quibus exemplis multum commendationis accedit ex eo, quod non solum decerpta sunt ex oratoribus, qui magnam partem interciderunt, sed etiam de Graecis sic facta Latina, ut Rutilius cum Cicerone, quem iuvenis senem videre potuit, certasse videatur.*

Atque his quidem verbis prudentissimis simul duplex illud consilium aliquo modo descriptum vides, quod, quum hunc librum iuventuti tradi vo-

lebam, secutus sum: Ut et illi, qui omissis praeceptorum dictatis ipsi ad Latine scribendum accederent, haec exempla haberent, quae imitati confirmarent gradum, et ut ii, qui in literis Graecis prudenti consilio stylum exercerent, cum Rutilii definitiones figurarum, tum oratorum exempla redderent interpretatione Graeciae. *)

Neque enim unus mihi vidisse videor, quantum plerique moliantur et ringi pueri soleant, qui quum aliorum sententias, verbis etiam fortasse tantum non omnibus subministratis, Latine vertere consuevere, iam sua ipsi sensa Latine eloqui iubentur. Itaque quae aegre excogitavere, aegre undequaque petitis verbis aliquo modo illi quidem promunt; verum quid munda formae honestas, quid prudens verborum delectus, quid conclusa orationis compositio flagitet, unice securi aut inconsulti. Quippe, ex angusto dictatorum spatio in liberrimam inventionis infinitatem repente emissi, magnam et rerum et verborum molem digerere atque tractare non

*) Quamquam vel ista Figurarum ratio, quam Ruhnkenii aetas, ut quae primum frigidam artis rhetoricae ariditatem aversari coepisset, paene spernebat, hodie tamen, ubi subtilia rhetorum praecepta nimis ex adolescentium institutione recesserunt, ipsa etiam aliquid commendationis habeat; non quod ex fragmentis his paucis, neque lectissimas semper amplexis figuras, ipsa ea ars possit cognosci; sed quia avocatos ab his rebus adolescentium animos tamen commonefacere eius artis utile est. Quam enim longe a formae cura nunc animi abhorreant, ipsa harum figurarum imitatio potest docere. Siquidem nihil tam saepe discipuli monendi sunt, quam ne rem, velut in anancaeo necessitate oblatam, cum figura confundant, quae ea re necessaria prudenter utatur.

didicerunt. Quae quum ita sint, mediam quasi quandam stationem esse quaerendam, qua brevibus remis, antequam in altum provehantur adolescentes, vires experiantur et exerceant, omnes, spero, mecum consentient. Neque ego quum varia diu multumque tentarem, quidquam inveni, quod maiore cum fructu iis traderetur, qui primae Gymnasiorum classi aut adscripti sunt, aut adscribendi, quam ipsa haec exempla Rutilii. Ea enim et nominum praescriptorum auctoritate et lepido argumento ipsa ad legendum adolescentium animos adliciunt; orationis autem ars sic est in omnibus conspicua, ut sponte incurrere in oculos et ad imitationem invitare videatur, praesertim cum tam brevia sint, eiusque simplicitatis, quam quivis se posse exprimere speret. Atque ea adolescentium studia qua arte mihi quidem, quem usus iam edocuit, regenda videantur, fortasse non plane inutile faciam, si paucis exposuero. Tradendum igitur hunc libellum eis adolescentibus iudico, qui secundae classis lectionibus singulos iam annos interfuerunt; eo quidem consilio, ut altera quaque hebdomade non ea quae reliqui discipuli dictata Latine vertant, sed haec figurarum exempla, similia invenientes, imitentur. Et quamquam vel definitiones Rutilii vel exempla ipsa, si modo notas propter id ipsum suppositas attente legant, ipsi per se et legere discipuli et imitatione sequi posse videntur, tamen, quia quae nova sunt, difficiliora plerumque videri solent, velim, antequam ad imitationem ipsam veniant, aliquam Rutilii partem tractent ma-

gistro interprete; non quidem ita, ut Latina legant, sed ut per eas lectiones, quibus subito et ex tempore scribere Latine docentur, ipsi in linguam Latinam vertant. Sic enim varie peccantes, quantum a Rutilii arte eximia, qua suo quaeque loco verbis lectissimis collocata, omniaque numeris apte cadentibus summa membrorum paritate vincta sunt, longe longeque distent ipsi, acerrime vident; simul tamen, si modo in formae elegantiam mentem intenderint, posse se scribere, quo satis magistro faciant, intelligunt et incenduntur. **) Quod si illa figurarum imitatione aliquamdiu excercitati fuerint, poterunt, qui ceteris praestant, praemii loco in apertiores iam campos ex hac gyri brevitate emitti; quamquam his etiam themata poni leviora malim, quaeque intra quatuordecim dies absolvi commode possint; praeterea enim cito oratio diffluet. Atque eam quidem institutionem classi secundae aptam putarim; neque tamen plane omittendam in classe prima. Nam sicuti multis nominibus sapienter in-

**) Iuvat exemplum Alloeoseos, sic ut ad me datum est, adscribere, quod non ex traditis omnibus optimum, laudatum tamen, primae classis alumnus conscripsit: Quum haud raro fieri consueverit, ut filius plane a patris vivendi et agendi ratione discedat; nihil sibi magis oppositum esse potest, quam Demea et Parmeno. Nam quum pater laboriosus et industrius sit, parcus in re familiari, sed tamen in amicos liberalis, pater optimus, dulcissimus coniunx, patriae vero amantissimus, ea omnia opposita in filio; qui nullam unquam in aliqua re curam collocavit et industriam, qui sui prodigus grande aes alienum conflavit, qui illiberalis in amicos, minime pius in parentes, acerbus in fratrem, incredibili quodam in patriam odio incensus est.

stitutum est, ut in ea quoque classe non solum longiores disputationes, sed etiam scripta, quae proprie ita vocantur, Latine vertenda proponi soleant, sic has etiam exemplorum imitationes magno cum fructu ita continuandas censeo, uti singulis semper scriptis singula figurarum exempla subiungantur. Velut enim qui cantandi artem profitentur, vocem sonorum varietate quasi dissipatam quotidie ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipere et quodam modo colligere discipulos iubent, similiter nos puerorum orationem dissertationum temeritate effusam hac exemplorum regula compescendam suademus.

Atque primae quidem classi non solum ad exempla imitanda hunc librum aptissimum esse supra monebam, sed etiam quem totum verterent Graece. In quo mihi non minimae commendationis id esse videtur, quod utriusque linguae exercitationibus unus sic liber inserviet; neque is, (ut quem non legendo, sed imitando triverunt,) diuturna tractatione fastiditus et spretus, sed in consilio novo novus quodam modo atque intactus. Deinde vero quantam utilitatem afferat, utramque linguam interpretatione contendere, nemo ignorat; sed non minus plerique noverunt, eligere scriptores Latinos, quos Graece discipuli vertant, quam sit difficile et anceps. Atqui in hoc scriptore et servata omnis utilitas est, et evitatae nimiae difficultates. Nam primum non continuatam hic quandam orationem Latinis particulis vinctam et verborum ambagibus tumentem habemus; sed brevem, conci-

sam, articulisque apte distinctam. Deinde quantumvis antiquorum more libere exemplaria Graeca Rutilius Latina fecerit, ita tamen subinde nativus color interlucet, ut aut ipsi adolescentes ea vestigia legere, aut magistro monstratore et indice indagare, et quo utraque lingua discedat, intelligere utiliter valeant. Quod autem, licet omni modo averruncandum sit, interdum tamen est verendum, ne adolescentuli quidam male industrii, peius animati, fontes, unde sua themata fluxerint, quamvis reconditos rimentur et in suos rivulos advertant, de eo quidem hoc in scriptore plane securis nobis licet esse. Sed ad id fortasse aliquid erit dicendum, quod libri magnitudo brevior multis videri potuerit, quam quae satis amplam ad annuas interpretationes materiem praebeat. Verum quum scriptionibus Graecis, aliter atque Latinis, non tam prompta scribendi facilitas, quam subtilis linguae intelligentia quaeratur, brevibus, nisi fallor, pensis, dummodo ingenium acuant, et quibus vel haec libelli parvitas fere sufficiat, transigi potest.***) Modo ne libri pensa simul atque utilitas vocabulis

***) Quod si tamen maior exemplorum copia alicubi desideretur, augere et figuras et exempla, Rutilii morem imitati, poterimus. Veluti: *Phantasia:* Hoc schema fit, cum imagines rerum absentium ita repraesentantur animo, ut eas cernere oculis ac praesentes habere videamur. Demosthenis: *Atqui si nunc ipsum, iudices, repente magnum exaudiamus clamorem, et mox aliquis advolet nuncius, effractos clamans carceres, fugam parare captivos; nemo, credo, neque senior neque iunior adeo socors fuerit, quin quantum possit ferat auxilium. Tum vero, si quis interveniat atque: Hic ille est, exclamet, qui illos dimisit; num quid obstare puta-*

subscriptis Graecis deminuantur. Nam secundae quidem atque primae classi in scriptis Latinis, primae in scriptis Graecis, si modo ea eliguntur, quorum difficultates superari diligentia possint, nullam, in iis quidem quae praeceptoribus corrigenda traduntur, opem ferendam censeo. Sin fertur, ut nunc plerumque fieri video, magna profecto adolescentulis eripitur virium experiendarum opportunitas, expertarum magna vel conscientia vel modestia, magna studiorum alacritas, fructus denique laborum magnus.

Iam posteaquam de concilio huius libelli satis disputatum est, restat, ut de mea quoque in Rutilio collocata opera pauca dicenda videantur. Quamquam haec quidem, ut par erat, plane ex illo pendebat. Erat enim curandum, ut, qui liber sine magistri ope ab adolescentulis tractandus esset, ita explanaretur, ut, qui attente legerent, non magnopere possent errare. Quapropter notas subscripsi, quibus et illud caveretur, et simul ne ea, quibus ab aliorum usu recedens Rutilius novus est, imitarentur imperiti et rari interdum cupidiores adolescentes, modeste commonerentur. Aliud autem praeterea erat faciendum invidiosius. Nam in paucis adhuc consultis codicibus, — neque multo meliores usquam latere affirmarim, — pessime habitum Rutilium omnes norunt; neque quantas in eo et emendando et explicando Ruhnkenius omnium

tis, quin ille, ne verbi quidem copia facta, statim intereat? Item alio in genere Hyperides: *Hoc quidem decretum non orator scripsit, sed pugna ad Chaeroneam.* Alias figg. vid. post animadv. cr.

laudes tulerit, me laudatore indiget; tanta enim eius auctoritas hac in re facta est, ut plerosque et eius nomen et hunc scriptorem procul veneratos dicas. Neminem enim fere, qui post illum continua Rutilio studia sacrarit, quantum equidem scio, invenias. Sed idem tamen neque unus omnia videre potuit, neque prudenter, quae videbat esse vitiosa, corrigere, nedum quae possent in vitiosorum locum venire recipere in ipsos Rutilii versus omnia voluit. A me contra et negligenda prudentissima ea cautio, et deserenda saepe illa tanti viri auctoritas, et in summa codicum depravatione audendum interdum erat plurimum. Itaque ne aliis improbus, temerarius aliis viderer, ut sunt ingenia hominum, erat fortasse verendum. Ei tamen verecundiae quominus concederem, duo me impedierunt. Non quidem scribendi cupiditas. Nam et complures scriptores, quos similiter atque Rutilium ad leges criticas exigere studui, dudum in scriniis meis latent, et in hoc ipso emendando quindecim paene anni sunt, ex quo subsicivarum horarum oblectamenta quaesivi. Quod non gloriationis aliqua causa nunc profero, sed quia eis aliquando dicendum videbatur, qui suo modulo aliorum studia et voluntates metientes non aeque de rebus meis iudicaverunt. Quibus tamen, non animi quodam fastidio, sed naturae meae lenitatem secutus, nunquam sum responsurus, sed utrum meis laboribus efficere aliquid potuerim, an, quod non spero, irriti fuerint, uni, si quam spondere mihi liceat, posteritati relinquam. Sed quae verae cau-

sae me ad profligandum istum pudorem impulerunt, hae erant: Maxima quidem erat utilitatum ratio, quas usu experto mihi magnas adolescentulis, si hunc libellum diligenter tractarent, parare videbam. Quod si qui erunt, quos multos fore confido, qui hoc consilium laudent, ut etiam rationem huius editionis inde profectam comprobent, consequens est. Sin qui futuri essent, qui vel propter huiusmodi consilia tamen scriptorum integritatem haud laedendam edicerent, eos, tanquam aliter sentiens, aut non curandos censebam, aut modeste rogandos, ut a me hunc libellum, non a Rutilio esse, sed utilem — si modo! — praedicarent. Altera vero causa erat, quod prodesse me hoc libello non solum adolescentibus, sed etiam Rutilio literisque Latinis iudicabam, quia non temere calidum istud consilium arripui, deinde tumultuarie, vi atque violentia quidvis sum ausus, ut aliquo modo legi posset Rutilius; sed quaecunque in eo mutavi, ea post longa studia multamque probabilitatis inquisitionem ita ut feci mutanda esse mihi persuasi. Per eam igitur, quam nunc praecipue sequebar, adolescentiae rationem id tantum effectum est, ut ea, quae criticis viris hoc opus propositurus pleraque in adnotatione relicturus et pluribus verbis defensurus fuissem, ea nunc in ipsam Rutilii orationem inferenda putarem; adnotationem autem, ne moles libelli et pretium crescerent, brevem adiungerem. Nam plane eam omittere, et virorum doctorum iudicio, unde quidque venisset et quo quidque pertineret, relinquere,

confidentis esse mihi hominis videbatur, duos autem emittere libros, adolescentibus alterum, alterum viris eruditis sacratum, magnum in re parva molimen, pretium denique libelli, licet ea annotatione augeretur, in hac tamen pagellarum paucitate tam exiguum, ut in annos complures, per quos hic liber tractandus esset, dispositum non inique videretur erogari. Sin autem tot sui amatores Rutilius nacturus sit, quot mea eius admiratio ei promittere solet, nihil obstabit, quin semel correctus vel aliorum sagacitate magis etiam politus et factus, praeterea novis fortasse figuris et effictis ad supra propositum modum exemplis auctus, abiecta illa velut officinae criticae supellectile mundior prodeat. Interim ut haec mea in eo consumpta industria adolescentulorum studia incendat et alat, vehementer exopto.

INDEX ORATORUM,

quibus Rutilius usus est.

1. Aristobulus, (?) I, 18. Historicus Alexandri eiusdemque in bello Persico comes.
2. Aristoteles, Peripateticorum, post ann. a Chr. 334, auctor. I, 6, 18. (?)
3. Charisius, orator atticus, aequalis Democharis, orationes aliis scripsit I, 10. II, 6, 16.
4. Cicero, I, 3.
5. Cleochares, patria Myrleanus, aequalis Democharis, orator et rhetor, I, 2, 10.
6. Daphnis, orator aliunde non notus, Asiaticum fuisse putat Rk. I, 15.
7. Demetrius, Phalereus, Theophrasti auditor, floruit ante Chr. 318, I, 1. II, 16.
8. Demochares, Demostheni sororis filius, orator et historicus, I, 5, 20.
9. Demosthenes, I, 7, 16 bis, 17 bis, 21. II, 1, 4, 9 bis, 18.
10. Dinarchus, patria Corinthius, auditor Theophrasti, a. Chr. 330. I, 14. II, 16, 20.
11. Hegesias, Magnes patria, historicus et orator, videtur Charisii aequalis fuisse, sed iunior, nam eum imitari cupiit, I, 7, 11. II, 2, 10.

12. Hyperides, Atticus, Demosthenis aequalis et familiaris, I, 4, 19 bis. II, 2, 6, 9, 11, 17.
13. Isidorus, Pergamenus patria, orator aequalis Athenodori Stoici, vixit anno circ. a. Chr. 260. II, 16.
14. Lyco, Troadensis, philosophus Peripateticus, an. circ. 270 a. Chr. propter orationis dulcedinem Glyco cognominatus, II, 7.
15. Lycurgus, Atheniensis, Demosthenis aequalis et amicus. I, 2, 7, 13, 18. II, 11, 18.
16. Lysias, Atheniensis, orator et rhetor, an. circ. a Chr. 440. I, 13, 15, 21. II, 3, 4, 8 bis, 9, 10.
17. Myro, ignotus, Asiaticum arbitratur Rk. I, 20. II, 1.
18. Plato, I, 6.
19. Pytheas, Atheniensis, aequalis et adversarius Demosthenis, I, 11, 14.
20. Sosicrates, ignotus, Asiaticus fuisse videtur Ruhnkenio, I, 8. II, 13.
21. Stratocles, aequalis Lycurgi, orator et adversarius Demosthenis, I, 9. II, 20.
22. Theophrastus, Eresius, Aristotelis successor a Chr. 321. I, 6.

P. RU-

P. RUTILII LUPI

DE

FIGURIS SENTENTIARUM

ET

ELOCUTIONIS

LIBER PRIMUS.

I. PROSAPODOSIS. Hoc schema duobus modis fieri et tractari potest. Nam sententiis duabus aut pluribus propositis sua cuique ratio vel posterius reddetur, vel statim sub unaquaque sententia subiungetur. Quibus posterius ratio subinfertur, huiusmodi sunt. Demosthenis: *Non enim pari ratione Philippus atque nos adversis rebus medetur; sed ille usque eo nititur, quoad restituat atque exsuperet; nos contra statim vinci meditamur. Ille enim pro laude sicut pro patria proeliatur; nobis autem, si nihil accidit mali*, *satis ac nimium boni videtur*. Cum singulis sententiis statim ratio subiungitur, hoc exemplo. Demetrii Phalerei: *Nam quod beneficium tempore et cupienti datur, gratum est. Utilitas enim ac voluntas accipiendi honorem dantis facit ampliorem. At quod sero et non desideranti dari datur*, *ingratum est. Amisso enim tempore utilitatis cadit accipiendi cupiditas*.

---

7 *restituat*) suppl. *res adversas*.
8 *meditamur)* i. e. parati sumus.

II. **SYNATHROESMOS.** Hoc et singulis verbis et plurium verborum coniunctione fieri potest. Singulis verbis hoc modo. Cleochari: *Sed cum ad supplicium sumendum se confirmaret, multa simul eum revocabant: officia, consuetudo, tempus, existimatio, periculum, religio; quae singula proprias ei cogitationes ad remorandum subiiciebant.* Democharis: *Nam quis haec simul universa perpeti possit, timorem, morbum, senectutem, contumeliam, inopiam, vim? quarum quaevis una res per se satis est gravis ad deficiendum.* Sed in coniunctione plurium verborum huiusmodi est. Lycurgi: *Nemo enim nocens sine summo moerore est, iudices, sed multa simul eum perturbant; quod adest, sollicitudinis plenum, quod futurum est, formidolosum, lex paratum supplicium ostentans, vitia ex vitiis coacta, occasionem arguendi maleficii captans inimicus; quae quotidiano vehementer eius animum excruciant.*

III. **PARONOMASIA.** Hoc aut addenda, aut demenda, aut mutanda, aut porrigenda, aut contrahenda litera aut syllaba fieri consuevit. Id est huiusmodi: *Non enim decet hominem genere nobilem, ingenio mobilem videri. Nam cum omnibus hominibus, tum maxime maximo cuique inconstantia turpitudini est.* Item. *At huius sceleratissimi opera, qui fuit lucus religiosissimus, nunc est locus desertissimus; nimirum quoniam traditam sibi publicorum custodiam sacrorum non honori, sed oneri esse existimavit.*

---

6 *proprias cog.*) i. e. ad eum proprie pertinentes et quasi privas.
10 *ad deficiendum*) i. e. ut vires deficiant.
15 *vitia ex vitiis coacta*) vitia commissa comittere vitia cogunt alia. Videntur autem vitia nova propter legum timorem committi; itaque post leges sequuntur, et praecedunt inimicum occasionem arguendi captantem, quia crescentibus vitiis accusationis pericula crescunt.

IV. PARADIASTOLE. Hoc schema duas aut plures res, quae videntur unam vim habere, disiungit et quantum distent docet, suam cuique propriam sententiam subiungendo. Hyperidis: *Nam cum ceterorum opinionem fallere conaris, tu tete frustraris. Non enim probas te pro astuto sapientem intelligi, pro confidente fortem, pro illiberali diligentem rei familiaris, pro malivolo severum. Nullum est enim vitium, quo virtutis laude gloriari possis.* Hoc idem schema solet illustrius fieri, cum ratio proposito subiungitur. Id est huiusmodi: *Quapropter nolo te saepius parcum appellare, cum sis avarus. Nam qui parcus est, utitur eo quod satis est: tu contra propter avaritiam, quo plus habes, magis eges. Ita non tam diligentiae fructus, quam inopiae miseria sequitur.*

V. ANACLASIS. Hoc schema fieri solet, cum id quod ab altero dictum est, non in eam mentem quae intelligitur, sed in aliam aut contrariam excipitur. Huiusmodi est vulgare illud Proculeianum. Proculeius cum filium suum moneret et hortaretur, audacter ex bonis ipsius sumtum faceret, quas in res vellet atque opus esset, nec tum denique speraret libertatem licentiamque utendi futuram, cum pater decessisset, cui vivo patre promisce omnia licerent; filius respondit, non esse se opus saepe eadem oratione moneri, *nec se patris mortem expectare.* Cui Proculeius pater subiecit, *immo vero,* inquit, *velim meam mortem exspectes, nec properes moliri, ut velocius moriar.*

[Palillogia quid] distet ab epanalepsi docet Gorgiae

8 *Nullum est vitium.)* Hinc iam propria sententia, i. e. vis nominum, quae inest in astutia etc. subiungitur. — *quo virtutis laude)* i. e. quo, dum laudas tanquam virtutem.

13 *magis)* pro: *eo magis.*

28 *[Palillogia quid.]* Haec verba in codd. non leguntur. sed

liber et exempla supposita. Demochari: *Erravistis, erravistis,* [Athenienses, si] *putavistis praemio corrigendos esse homines nequam.*

VI. *METATHESIS.* Hoc schema iucundissimum fit, cum duo verba repetuntur, sed inverso ordine. Huiuscemodi est notissimum illud Platonis, qui interroganti cuidam, quo pacto beata fieret resp., respondisse dicitur: *Si aut qui sapiunt imperare, aut qui imperant, sapere discant.* Item Theophrastus dicitur dixisse, *Prudentis esse officium, amicitiam probatam appetere, non, appetitam probare.* Item Aristoteles dicitur dixisse: *Eius esse vitam beatissimam, cuius et fortunae sapientia, et sapientiae fortuna suppeditet.*

VII. EPIBOLE. Hoc schema dupliciter fieri consuevit, cum pluribus et diversis sententiis aut unum et idem verbum singulis praeponitur, aut varietas verborum, quae tamen eandem vim inter se habeant. Ab uno verbo saepius quae proficiscuntur, sunt huiusmodi. Lycurgi: *Nam cum iuventus concitata temere arma caperet, et quietos Thessalos manu lacessere conaretur, iure ego senatum coegi auctoritate sua comprimere adolescentium violentiam; ego quaestoribus interminatus sum, ne sumtum stipendio praeberent; ego armamentario patefacto restiti, atque efferri arma prohibui. Itaque unius opera mea non concitatum bellum non necessarium scitis.* Item

---

necessario supplentur. Atque hoc de omnibus eis verbis dictum sit, quae uncis inclusa sunt: Si aliis literis descripta sunt, quam reliqua est oratio, sunt ea omissa in libris, sed ad sententiam necessaria. Sin easdem literas habent, quas cetera verba, sunt quidem in codd., sed omittenda, quia sententiam turbant.

25 *non concitatum b.)* Sententia est: Adolescentes bellum non necessarium concitabant; quod id non concitatum est, mea opera est effectum.

Hegesiae: *Miseremini mei, iudices, quem coniurata tanta vis inimicorum oppugnat. Miseremini solitudinis, cui ne in summo quidem tempore periculi liberos adhibere ad communem calamitatem deprecandam licitum est. Miseremini senectutis, quae me etiam sine ceteris malis graviter defatigat.* Varietas verborum, quae eandem vim habet, huiusmodi est. Demosthenis: *Dolui, Athenienses, ubi illum clandestinum hostem impune intra murum vidi vagari; aegre tuli, quod omnium vestrum facilitatem unius fallacia tentatam intellexi; commovit me, quod in accipienda iniuria plerosque laetitiam ostentantes cognovi.*

VIII. EPIPHORA. Inter hoc schema et superius hoc interest, quod in superiore unum verbum pluribus sententiis anteponitur, in hoc autem omnium sententiarum unum atque idem novissimum verbum. Sosicratis: *Non enim alius quis est, cuius opera in has difficultates inciderimus; sed initio ad bellum suscipiendum nos primum impulit Philippus; deinde in ipso belli labore ac periculo deseruit nos Philippus; novissime nunc calamitati nostrae proinde atque culpae succensuit idem Philippus.*

IX. COENOTES. Hoc duorum superiorum schematum coniunctionem habet, quod et ab uno verbo omnes sententiae incipiunt, et in uno novissimo acquiescunt. Stratoclis: *Quaeritis novam rationem administrandae reipublicae. At reperire meliorem, quam a maioribus accepistis, non potestis. Quaeritis maximis sumtibus faciendis, quomodo ne tributa conferatis. At his a consiliis fractas aerarii opes, quas cupitis, augere non po-*

---

28 *his a consil.)* i. e. his, seu talibus, a consiliis profecti.
29 *quas cupitis)* quasi scriptum sit, *quas cupitis augere, augere non potestis.*

testis. Quaeritis, quemadmodum scelere contaminatis hominibus parcatis. At ignoscendo nocentibus innocentium salutem custodire non potestis.

X. POLYPTOTON. Hoc schema solet complures sententias, alio atque alio modo ut pronuncientur, efferre. Cleocharis: *Nam vehementer admiror, Lacedaemonii, si praeter hunc quemquam existimatis esse, cui ob has causas iure succensere debeatis. Hic est enim, qui vobis exploratam spem victoriae est pollicitus. Hunc vos non solum in consilio dando ceteris anteposuistis, sed etiam in conficiendo negotio principem praefecistis. Huic omnium vestrum fortunas universi commisistis. Ab hoc igitur uno pristinae pollicitationis rerumque gestarum* [rationem] *reposcere debetis.* Item Charisii: *Pater hic tuus nunc denique est, ut egestatem tuam debere alere videatur? Patrem nunc appellas, quem prius egentem auxilio tuo ut alienum deseruisti? Patri tu filius es ad potiundas opes, cuius ad senectutem violandam crudelissimus hostis fuisti? Nimirum nullo consilio filios procreamus. Nam maiorem partem ex illis doloris et contumeliae capimus.*

XI. EPANALEPSIS. Hoc schema fieri solet, cum id quod dictum semel est, quo gravius sit, iteratur. Id interdum fit uno verbo, interdum plurium verborum

---

5 *alio atque alio modo)* i. e. aliis semper casibus, *hic*, *hunc*, *huic*, *ab hoc; pater*, *patrem*, *patri*. Nota vero, in utroque exemplo quartum casum ante tertium venire.

11 *in conficiendo)* nota, praefecistis *in* negotio; apposuit *in*, quia praecesserat, *in* consilio.

19 *nullo consilio)* i. e. temere, stulte.

20 *maiorem partem)* rhetoricum pondus quaerens *maiorem partem* dicit, non *plus;* ut *hodierno die*, non *hodie* saepe propter causam eandem Cic. Sententia igitur, a filiis plus doloris capimus, quam adiumenti.

coniunctione. Verbum sic iteratur. Pytheae: *Quid contra tot res tamque evidentes dicere potes, Demosthenes? Cognitum enim est, rempublicam venalem habuisse, cognitum est.* Item Hegesiae: *Sed instigabat multitudinis animum ad bellum inferendum concitatus iracundia furor. Furor, inquam, non ratio, sine qua nihil unquam populus ex sententia gessit.* Sed plurium verborum iteratio est huiusmodi: *At ego in his aerumnis amicis sum spoliatus omnibus, iudices; qui non quod me odissent, sed quod inimicorum factionem pertimuissent, me in malis deseruerunt.*

XII. DIAPHORA. Hoc schema est, cum verbum iteratum aliam sententiam significat, ac significavit primo dictum. Id est huiusmodi: *Hunc tu frater eiusdem sanguinis particeps, in hac fortuna deserere potuisti? cuius aerumnae quemvis etiam extrarium hominem, modo hominem, commovere possent?* Item: *Universum, mulierem. Quid potius dicam aut verius, quam mulierem?*

XIII. EPIPLOCE. In hoc ex prima sententia secunda oritur, ex secunda tertia, atque ita deinceps complures. Nam quemadmodum catenam multi inter se circuli coniuncti vinciunt, sic huius schematis utilitatem complures sententiae inter se connexae continent. Lysiae: *Constat igitur, iudices, Simonem domo sua, ab suis diis penatibus, vi, cum summa iniuria esse exturbatum. Nam*

---

10 *pertimuissent)* nota coniunctivum; nam causae fictae *(non quod)* coniunctivus, sed causae verae *(sed quod*, plerique dicunt, *sed quia)* indicativus additur. Quod si coniunctivum hic posuit, haec etiam causa amicorum ficta est. Atqui nunc non offendere amicos, sed inimicorum factionem invidiose describere cupit; ergo indicativum haud dubie ponemus, *pertimescunt.*

17 *Universum,)* i. e. in universum. cf. animadv. cr.

Chaeremenes cum hominibus armatis ad eum venit. Cum venisset, sine ulla religione domum eius expugnavit: expugnata vi domo familiam abstrahit: abstractam tormentis omnibus excruciavit: cruciatam vinxit: vinctam in publicum proiecit praedo, ne suum maleficium tacitum lateret, sed cum praetereuntes prostratam familiam viderent, et ab his rem gestam audirent, simul et oculis et auribus scelus illius usurparent. Item Lycurgi: *Haud mihi mirum videtur, quod tam excelsum boni gradum homo summi laboris escenderit. Nam cui praesto est studii voluntas, industria sit necesse est: industriam vero scientia consequitur: ex scientia copia et facultas ingenii nascitur; ex qua facultate vera et stabilis felicitas laudis oritur. Neque enim temere diligens studium virtutis fructus fortunae fallit.*

XIV. POLYSYNTHETON. Hoc schema efficitur, cum sententiae multorum articulorum convenienti copula continentur. Pytheae: *Ille hunc pone constrictum trahebat, hic autem vociferabatur. Concursus vero non mediocris, cum tamen omnes opitulari vellent, sed nemo auderet. Neque enim magistratus aderat, nec circumspicientes, quo potissimum confugeremus, reperiebamus; sed uno tempore nos et praesens et futurum malum perturbabat. Nam praesens tempus acerbitatis erat plenum, reliquum vero timoris.* Item Dinarchi: *Partim nostri silebant, partim autem ingentem clamorem excitabant.*

---

9 *tam excelsum boni gradum) boni*, nove; sic II, 19: *evidens bonum sui consilii.*

13 *felicitas laudis)* feliciter ille laudem (eloquentiae) adeptus est, quam summo labore et industria expetierat.

20 *cum tamen) tamen* locum hunc praeoccupat; proprie: cum omnes opitulari vellent, sed nemo tamen auderet.

tabant. At hi socii, praeclara nostra auxilia, neutrum poterant. Neque enim constanti silentio, neque forti clamore strenui quid agere conabantur. Huc accedebat ignavus tubae strepitus, qui nihil eorum mentes ad virtutem erigebat.

XV. DIALYSIS. Hoc schema contrarium est superiori. Nam demtis omnibus articulis sententiae divisae pronunciantur. Daphnidis: *Quid autem me convenit facere, Byzantii? Subire publicae causae iudicium? magno nomini adversariorum fortiter resistere? non vereri periculum? diligenter protervitatem compescere? non minas extimescere? constanter in causa pro vobis perseverare? Omnia feci, vestrum commune commodum spectans. Tamen non desunt, qui ex tantis meis officiis aliquid velint vituperare.* Item Lysiae: *Omnibus in rebus suam confidentiam ostentabat. Debitum petebamus? Non dissolvebat. Minabamur? Contemnebat. Lex nihil valebat, magistratus negligebat. Venit hoc tamen nobis novissime tempus ulciscendi.*

XVI. METANOEA. Hoc schema fieri solet, cum ipse se, qui loquitur, reprehendit, et id quod prius dixit, posteriori sententia commutat, ita ut facit Demosthenes: *Nunc, quoniam de me, ut volui, cognostis, iudicium per ipsius vitam constituam. Nam dum opus est, parentes appellat, quos scitis non ignotos fuisse, sed ut huiusmodi omnes homines exsecrarentur. Sed hic bonus vir, grandis natu, atque sero, sero loquor? immo vero nuper,*

---

2 *poterant.)* Verbi vis Graeca est; non enim notat id quod potest fieri, sed id quod illi animi vi valebant; socii ad utrumque auxilium nimis erant ignavi.

23 *iudicium constituam)* ut causa cognita iudicare possitis, faciam.

25 *ut huiusmodi)* sc. homines.

atque his paucis diebus, simul et Atheniensis et eloquens est factus. Item: *At hic omnium sceleratissimus, novo more atque exemplo alieni facinoris vindex, ipse confidentissime non criminibus, sed armis reum lacessere conatus, conatus? nimium remisse loquor. Nam qui tantam caedem perfecerit, eius huiusmodi inceptum duntaxat arguere, paene maleficii largitionem est facere.*

XVII. PARENTHESIS. Cum in continenti sententia aliquid interponitur, quod neque eius sit sententiae, neque omnino alienum ab ea sententia, tum denique hoc schema efficitur; sed periculose ponitur. Nam aut mire ineptum, aut vehementer iucundum auribus accidere consuevit. Demosthenis: *Nos scilicet omnes, ut fit fere, repentino nuncio perturbati obstupuimus. Adimantus autem solus (nam est homo multum vehemens in republica, tum oris satis liberi;) magno clamore efflagitabat, ut senatus haberetur et, prout tempus postulabat, celeriter quod opus esset constitueretur.* Eiusdem: *Vixdum audieram appropinquare, cum statim magistratum certiorem feci; (Vos, dii immortales, quorum in templo gestum, testificor;) — illi neglexerunt, et rem tantam differre maluerunt; cum interea subito portas hostis obsedit.*

XVIII. MERISMOS. Hoc schema singulas res separatim disponendo et suum cuique proprium tribuendo magnam efficere utilitatem et illustrem consuevit. Lycurgi: *Cuius omnes corporis partes ad nequitiam sunt*

---

6 *inceptum.)* hoc verbo ironice extenuat *conatum,* quo ille armis reum lacessierat, eique opponit caedem perfectam.

16 *tum)* hic non est particula temporis, sed inservit enumerationi, et ponitur, si ad rem graviorem venimus; saepius *tum vero* Latini dicunt.

19 *appropinquare)* intel. hostes.

appositissimae: oculi ad petulantem lasciviam, manus ad rapinam, venter ad aviditatem, membra, quae non possumus honeste appellare, ad omne genus corruptelae, pes ad fugam. Prorsus ut aut ex hoc vitia, aut ipse ex vitiis ortus videatur. Item Aristotelis: *Alexandro enim Macedoni neque in deliberando consilium, neque in proeliando virtus, neque in beneficio benignitas deerat, sed duntaxat in supplicio crudelitas. Nam cum aliqua res dubia accidisset, apparebat sapientissimus; cum autem confligendum esset cum hostibus, fortissimus; cum vero praemium dignis tribuendum, liberalissimus; at cum animadvertendum, clementissimus.*

XIX. PAROMOLOGIA. Hoc fit, cum aliquot res adversario concedimus, deinde aliquid inferimus, quod aut maius sit, quam superiora, aut etiam omnia quae posuimus infirmet. Hyperidis: *Sume hoc a iudicibus, nostra voluntate; neminem illi propriorem cognatum quam te fuisse, concedimus. Officia tua in illum nonnulla exstitisse, stipendia vos una fecisse aliquamdiu, nemo negat. Sed quid contra testamentum dicis, in quo scriptus hic est?* Item eiusdem: *Quid a me saepius his verbis de meo officio requiris? Scripsisti, ut servis libertas daretur? Scripsi; ne liberi servitutem experirentur.*

8 *crudelitas.)* nota, ita dici severitatem, quia eam inimici nominarent crudelitatem; haec crudelitatis irrisio efficitur particula *duntaxat.*

9 *accidisset etc.)* nota coniunctivum; priores indicativum posuissent, nam *cum* est quotiescunque.

14 *inferimus)* i. e. opponimus.

16 *Sume hoc a iudicibus)* i. e. non obstabo apud iudices, quin hoc sumas.

21 *scriptus hic est)* i. e. heres nuncupatus.

23 *scripsi; ne etc.)* i. e. scripsi sane; atque quidem propter id, ne etc.

Scripsisti, ut exules restituerentur? Scripsi; ut ne quis exilio afficeretur. Leges igitur, quae prohibebant haec, non negligebas? Non poteram; propterea quod literis earum arma Macedonum opposita obficiebant.

XX. ANANCAEON. Hoc schema tunc prodest, atque omnis eius utilitas in eo est, cum volumus ostendere necessitudinem aut naturae, aut temporis, aut alicuius personae; quemadmodum fecit Myron: *Amicus meus fuit Chremonides et opinione omnium magis familiaris, et pro salute eius quaecunque potui, feci. Sed posteaquam maior vis legis nostrum auxilium ab illius periculo removit, calamitatis ac luctus eius particeps eram. Nam opitulandi facultas omnis erepta iam fuerat.* Item Democharis: *Nihil enim valebat assidua prō fratre ac misericors deprecatio, cum iudicaret tyrannus, cuius crudelitas omnem naturae necessitudinem exstinguebat.*

XXI. ETHOPOEIA. Lysiae: *Rure rediens, iudices, homo maior natu, magno calore, vix sufferens viae molestiam, tamen his verbis egomet me consolor: Fer fortiter demum laborem; iam brevi domum venies exspectatus; excipiet te defatigatum diligens atque amans uxor; ea sedulo ac blande praeministrando detrahet languorem, et simul seniles nutriendo reparabit vires. Haec me in itinere recogitatio prope confectum confirmabat.*

---

3 *non poteram)* sc. non negligere.

7 *necessitudinem;)* non notat necessitatem, sed necessitate natas rationes.

17 *Ethopoeia.)* Excidit definitio. Est autem moribus vel temporibus aliquibus conveniens oratio; a characterismo ita differt, ut hic mores aliquos ipsos depingat; haec e moribus effectam rem vel orationem tanquam comoediae scenam aliquam proponat. sic τὸ ἠθικὸν opponitur τῷ παθητικῷ.

20 *demum)* idem fere, quod *tandem*.

Postea vero, cum domum veni, nihil earum rerum inveni, sed potius bellum intestinum ab uxore contra me comparatum. Item Demosthenis: *At, me dius fidius, iudices, ego sic arbitrabar; filium ad parentem dissoluto vultu venturum, lacrimis patrium sinum oppleturum, supplicem precario obsecraturum, blanditia sua quod petisset a patris mollitie impetraturum. Sed hic longe aliter atque* [putaram]*; hic incredibili confidentia armatus ad patrem advolavit sicut hostis, atque initium sermonis cum iurgio sumsit.*

4 *dissolutum vultum)* i. e. dolore et lacrimis languidum et confectum.

P. RUTILII LUPI

DE

FIGURIS SENTENTIARUM

ET

ELOCUTIONIS

LIBER SECUNDUS.

I. **METABASIS.** Hoc duobus modis fieri solet. Ex quibus unum genus est eiusmodi, cum ab ea sententia, quam proposuimus, convertimus ad aliquam personam aut rem, [ut fortunam,] et tanquam praesentem appellamus, ita uti fecit Myron. *Haec mulier nuper fuit locuples et potens; in amore atque deliciis necessariorum; ornatus ei ex opibus abundabat; magnus ancillarum, quae sequebantur, comitatus;* [a cunctis, qui obviam essent facti, comiter] *appellabatur. Nunc contra subito et gravi casu afflicta vix mediocris ancillulae dignitatem retinet. O fortuna, quam vehementer te rerum varietas oblectat, et quam magno odio est tibi beatae vitae perpetuus et constans fructus!* Alterum genus est, cum aliam rem et orationem ad id quod demonstrare instituimus atque actionem nostram revocamus. Demosthenis: *Sed nimirum inopinans incidi in causam temporis huius alienam,*

---

10 *ancillulae dignitatem)* i. e. dignitatem exiguam, qualem unius ancillulae comitatus tribuit.

de qua posterius [huic] dicendum. Quapropter ad illud quod paullo prius agebam revertor.

II. ALLOEOSIS. In hoc schemate divisio et separatio est personarum aut rerum, et demonstratio, quantum intersit. Hegesiae: *Diversa studia adolescentium animum adverteramus; tametsi fratres erant, uno atque eodem sanguine orti. Alter in studio laudis versabatur et industria virtutis vitam gloriosam, sed laboriosam sequebatur; alter in augenda pecunia occupatus, et habendi cupiditate depravatus, summas divitias summam virtutem existimabat. Hic nimirum magis erat laboriosus, qui laborem condendi, non utendi causa suscipiebat.* Item Hyperidis: *Non enim simile est vivere in aequa civitate, ubi ius legibus valeat, et devenire sub unius tyranni imperium, ubi singularis libido dominetur. Sed necesse est, aut legibus fretum meminisse libertatis, aut unius potestati traditum quotidianam commentare servitutem.*

III. DICAEOLOGIA. Hoc fieri solet, cum aequitatem caussae quam maxime brevi sententia complectimur. Id est huiusmodi: *Quod si me reprehendis, cum homo adolescens lapsus sim, vehementer erras, qui id quod naturae valeat instituto arbitraris vindicandum; acerbusque et iniquus es, qui id quod aequaliter omnibus putes ignoscendum, uni imputas.* Item Lysiae: *Nam ego huic, iudices, quicquid ad superius tempus attinet, nihil succenseo; nihil enim deliquisse cognovi. Sed in*

5 *studia animum adverteramus;)* frequentius dicimus animum ad aliquid advertere.
8 *industria virtutis)* coniungenda sunt, non, *virtutis vita.*
12 *condendi,)* i. e. reponendi et acumulandi causa.
15 *singularis libido)* i. e. libido unius hominis.
17 *commentare)* archaismus; aurea aetas dixit *commentari.*

hoc novissimo facto cum plenum malitiae perfidiaeque invenirem, merito reprehendere atque odisse coepi. Quaeritis fortasse, quid acciderit caussae, quamobrem eundem et laudem et vituperem? Quod idem commutata voluntate non est, qui fuerat, neque idem nunc de se audire debet, quod prius consuerat, cum sine noxa se gerebat. Non arbitratus es igitur, rursus eum reversurum officio, atque amicum tibi futurum? Quomodo? conscium, tantum facinus in me admisisse, ut reliquum tempus neque beneficio locum, neque benivolentiae spem relinqueret?

IV. PROLEPSIS. Hoc est, cum id quod in adversarii caussa, aut in iudicis opinione esse aut fore arbitramur contrarium nobis, praeoccupamus dicere et cum ratione dissolvere. Demosthenis: *Atque ego illum, iudices, arbitror Lycurgum laudatorem producturum, scilicet qui sit testis eius pudori ac probitati. Sed ego Lycurgum, vobis praesentibus, hoc unum interrogabo, velitne se similem esse illius, factis et moribus? Quod si negarit, satis factum vobis esse de veritate nostra debebit.* Lysiae: *Hac oratione saepius apud me utebatur, et orabat, ut suarum aerumnarum misererer, inopiae subvenirem. Quid multa? commotus humanitus precibus deprecanti quod petebat dedi, solus soli, quo minus nota calamitas hominis esset. Sed ut paratus venisse videtur,*

iam

---

7 *reversurum officio)* plerique omnes dicunt, revertere ad officium.

8 *conscium, tantum)* magis e consuetudine latina esset, *qui se sciat tantum facinus in me admisisse.* cf. II. 18 *invitos necessario dicere.*

19 *de veritate nostra)* i. e. de veritate orationis nostrae, *veritas* et hic et alibi apud Rutil. magis, quam apud ceteros eius aevi scriptores, absolute ponitur.

24 *ut paratus)* sic semper Latini; nos semper inverso ordine: gerüstet wie er zu kommen scheint.

iam se negabit accepisse, et flens vobis supplicabit, ut se a calumniatoribus eripiatis. Vos autem cum sic se agentem videritis, facitote, ut et illius et mei memineritis.

V. HORISMOS. Hoc fit, cum definimus aliquam rem nostrae causae ad utilitatem, neque tamen contra communem opinionem. Id est huiusmodi: *Nam virtutis labor vera voluptatis exercitatio est.* Sed fieri solet hoc schema nonnunquam ratione supposita, et tum denique magis illustratur, ita: *Furtum fecit dives avarus. In villa aedem fecit Fortunae. Crimen arguitur temeritate illius, quae tam locupletis copias dederit ei, qui odisset uti.*

VI. PROSOPOPOEIA. Hoc fit, cum personas in rebus constituimus, quae sine personis sunt, aut eorum hominum, qui fuerunt, tanquam vivorum et praesentium actionem sermonemve deformamus. Id est huiusmodi: *Namque crudelitatis mater est avaritia et pater furor. Haec facinori coniuncta parit odium; inde item nascitur exitium.* Hoc genere usi sunt poetae, qui fabulas scripserunt, in prologis. Nam humana figura produxerunt personas, quae in veritate artis et voluntatis sunt, non personae. Alterum genus est, ita ut fecit Hyperides, cum de adolescente impudico diceret: *Quid si tandem*

---

2 *a calumniatoribus eripiatis.)* nota praep. *a* contra consuetudinem additam.

2 *sic se agentem) se agere* is dicitur, qui personam aliquam in se recipit, e qua ficto modo se iactet.

9 *Furtum fecit etc.)* nota, hic non oratoris exemplum praeberi, sed rei breve argumentum; quod tale est. Crimen est: Dives avarus furtum fecit. Idem Fortunae aedem fecit; itaque Fortunam patronam et deam tutelarem elegit. Jam fortuna a temeritate *definitur*, et ab hac definitione *ratio* furti facti supponenda est. Temerarium est enim, hominem divitem furari; sed decet eum, qui temeritatis deam prae ceteris colit.

iudice natura hanc causam ageremus, — ut quae ita divisit virilem et muliebrem naturam, ut suum cuique opus atque officium distribueret, — et ego hunc ostenderem muliebri ritu esse suo corpore abusum; nonne vehementissime admiraretur, si quisquam non gratissimum munus arbitraretur, virum se natum, sed depravato naturae beneficio in mulierem convertere properasse? Item Charisii: *Existimate, quaeso, rempublicam hic adesse, et pro vestra libertate supplicem vobis accidere, simul et liberos vestros et matres familias amplexam tenere, parentes vestros aetate confectos ad se applicare, redigere vos in memoriam, qualem se a maioribus acceperitis, obsecrare pro sacris ac delubris deorum immortalium, pro parentum monumentis, pro vobis ipsis et salute vestra; haec si praesens agat, ut dixi, quid animi estis habituri, — quaero?*

VII. CHARACTERISMOS. Quemadmodum pictor coloribus figuras describit, sic orator hoc schemate aut vitia aut virtutes eorum, de quibus loquitur, deformat. Lyconis: *Quid in hoc arbitrer bonae spei reliquum residere, qui omne vitae tempus una ac desperatissima consuetudine producit? Nam simul atque ex prioris diei nimia cibi ac vini satietate, vix, meridiano tempore, plenus crapula est experrectus, primum oculis mero madidis, humore obcaecatis, visco gravidis, lucem constanter intueri non potest; deinde confectis viribus, utpote*

7 *properasse.)* Nota structuram variatam; nam *mirari* et *si* assumit, *(si quisquam arbitraretur)* et infinitivum *(properasse).*

11 *ad se applicare,)* i. e. in amplexu admovere pectori.

15 *estis habituri,)* hic iam quaestio finitur; hinc indicativus. Deinde non regens priora additur, *quaero*, quasi admirabundi et incitantis ad respondendum.

cuius venae non sanguine sed vino sunt repletae, se ipse erigere non valet; tandem duobus innixus, languidus, qui cubando sit defatigatus, tunicatus, sine pallio, soleatus betaceo, palliolo frigus a capite defendens, flexa cervice, summissis genibus, colore exsangui, protinus ex cubiculari lectulo exsiccatus in triclinium trahitur. Ibi praesto sunt quotidiani, e nausea eodem studio excitati, convivae. Hic vero princeps paulum illud, reliquum quod habet mentis ac sensus, poculis extrudere meracibus festinat; bibendo provocat, lacessit, si, ut in hostium proelio, quam plurimos superarit atque afflixerit, amplissimam sibi victoriam partam existimans. Interea procedit simul et illuvies turpis et potatio; oculi vinum lacrimantes caligant, ebriosum ipsi vix ebrii cognoscunt. Alius sine caussa iurgio proximum lacessit; alius somno deditus vi cogitur vigilare; alius rixari parat; alium turbas vitantem ac domum reverti cupientem retinet ianitor, pulsat, exire prohibet, domini interdictum demonstrans. Interea alium contumeliose extra ianuam eiectum, vacillantem puer sustentat ac ducit pallium per lutum trahentem. Novissime solus in triclinio relictus non prius póculum e manibus emittit, quam somnus oppressit bibentem, ac dissolutis artubus ipsum poculum suapte natura dormienti excidit.

VIII. **BRACHYLOGIA.** Hoc fieri solet, cum orator brevitate sententiae praecedit auditoris exspectationem. Lysiae: *Quaeris a me, quo iure obtinere possim,*

---

5 *cervice,)* nota singularem, pro cervicibus.

23 *ipsum poculum)* i. e. sponte poculum excidit, itaque poterat abesse *suapte natura;* videtur id addidisse, quo lentius et remissius exiret dormitantis descriptio post praecedentem furorem.

quae iure mihi Polyaenus reliquit, praetor dedit possessionem, ad te non pertinent? Leges defendunt; hi veritatem sequuntur. Item eiusdem: *Sed vos aequum est voluntatem dispicere. Nam consilio valuit, fortuna lapsus est; homo fuit; fatetur; concedendum est non omnia posse; hoc enim deorum est proprium.*

IX. SYNOECIOSIS. Hoc schema docet diversas res coniungere, et communi opinioni cum ratione adversari; et habet magnam vim vel ex laude vitium, vel ex vitio laudem exprimendi. Hyperidis: *Nam hominis avari atque asoti unum atque idem vitium est. Uterque enim nescit uti, atque utrique pecunia dedecori est. Quare merito utrique pari poena afficiuntur, quos pariter non decet habere.* Item Lysiae: *Quapropter prodigam in multos largitionem abstinentiae testimonium non credideris; multo enim confidentius hoc genus hominum furatur. Nam quo magis eget ad sumtum ambitionis, audacius facit rapinam, ut huic ipsi ambitioni copia suppeditare possit.* Item Demosthenes, cum ei quidam obiecisset, matre Scytha natum, respondit: *Non miraris igitur, quod Scytha matre et barbara natus tam bonus et clemens evaserit?* Item eiusdem: *At ego hunc propterea malum esse existimo, quia nimium se gerit severum. Namque ex hominibus humanitatem ac misericordiam tollere maximum signum malitiae videtur. Ego contra*

---

1 *quae iure reliquit,)* in ipsam interrogationem responsionem, iure sibi relicta, innectit; hinc indicativus est *reliquit etc.*

2 *hi)* i. e. iudices.

13 *pariter non decet habere.)* *habere* substantive ponitur; uterque et avarus et asotus usu pecuniae indignos se, qui aliquid habeant, monstrant.

15 *non credideris)* *non* dicit, quia optativi vicem sustinet, *credideris.*

25 *Ego contra.)* Suspicor legendum: *Ergo cunctos deos* etc.

deos precor, nunquam huiusmodi civem habeamus, qui ad supplicium sumendum in omnes partes sit inexorabilis.

X. APORIA. Hoc schema efficitur, cum quaerimus, quid aut quemadmodum pro rei dignitate dicamus, nec reperire nos ostendimus. Lysiae: *Nec iam rationem invenimus, qua flecti te posse speremus. Ita nos omnibus modis tentatos acerba tua, ac nimium tua facultas affligit.* Item Hegesiae: *Non hoc est, ut vulgari verbo appellatur, calamitas. Quid igitur? Quod propriam imponam nomen, nescio; nisi illud unum, tantam esse aerumnae magnitudinem, ut omnem fortunae superbissimam crudelitatem ingenii miseria superarit.*

XI. PARASIOPESIS. Hoc est, cum aliquid nos reticere dicimus, et tamen tacitum intelligitur. Et hoc utendum est, cum aut notam rem esse auditoribus arbitramur, aut suspicionem excitare maiorem reticendo possumus. Lycurgi: *In praesentia, iudices, iniussu populi quae improbissime gesserit, reticebo: de falsis eius literis, quas ad senatum miserit, nihil dicam; quae illi saepe interminati sitis, omittam. Nam et haec vobis nota sunt, et quae novissime multo indigniora commisit, quam primum cognoscenda.* Hyperidis: *Cogis me iniuriae tuae causam proferre. Nihil agis; non dicam. Sed ipsum tempus eam patefaciet.*

XII. PAROMOEON. Hoc schema et homoeoteleuton et homoeoptoton fere non multum inter se distant.

---

7 *tentatos)* i. e. petitos armis et telis eloquentiae seu *facultatis tuae,* ut ait Rutil., cf. I, 3. *nimium tua facultas* est ex aporia dictum; nescit, quomodo eam appellet, aut fingit se nescire; itaque dicit, *nimium tua,* i. e. tibi propria facultas.

8 *Non hoc est — calamitas.)* neutrum, *hoc,* ponit, ut in aporia, quia ea res est plane incerti nominis et generis.

12 *ingenii miseria)* intellige ingenium aliquo modo repente hebetatum et delirum.

Tamen quid intersint, ex uniuscuiusque supposita sententia cognoscere poteris, et multo diligentius ex Graeco Gorgiae libro, ubi pluribus uniuscuiusque ratio redditur. Sed hoc paromoeum verborum efficit similitudinem, ita ut hoc est: *Nam disputandi aut suadendi est aliud idoneum tempus. Cum quidem adversarius armatus praesto est, resistendum est huic non verbis, sed armis.*

XIII. OMOEOPTOTON. Hoc in duobus verbis eundem habet casum, aut eandem novissimam syllabam. Id est huiusmodi: *In rebus adversis cum praesto est consilium, non potest deesse auxilium.* Item Sosicratis: *Nam qui secundis rebus libenter assentiuntur, iidem simul ac se fortuna contristaverit, primi insidiantur.*

XIV. OMOEOTELEVTON. Hoc minus evidens est, quam superius, et minorem affert auribus iucunditatem. Nam neque tam paria duo verba sunt, neque eundem habent casum et sonum vocis, quam Graeci προςωδίαν appellant. Id est huiusmodi: *Nam respublica nostra ad hunc statum gloriae pervenit non multitudine hominum, sed severitate legum.*

XV. ISOCOLON. Hoc aut duabus aut pluribus sententiis brevibus et inter se paribus exigitur, ita uti hoc est: *Nequaquam mihi dives est, quamvis multa possideat, qui neque finem habet cupiendi, neque modum statuit utendi. Nam et multum desiderare, egentis est signum, et nihil parcere, egestatis est initium.* Item: *Seorsum est, beneficium dare libenter, iniuriam facere nolle. Nam dando beneficium, extemplo benivolentiam* [inten-

7 *armis.)* Paromoeum est in *verbis et armis.* putaveris *a* ante *r* propius accessisse apud Romanos, quam apud nostros ferimus, ad sonum literae *e;* unde *inermem, inertem* facimus.

26 *Seorsum est)* quasi in diversas partes abit; nove dictum.

dimus,] *non faciendo iniuriam, duntaxat odium vitamus.*

XVI. ANTITHETON. Hoc pluribus modis fieri solet, et habet in omni genere orationis summam utilitatem. Quare separatim demonstrandum est de unoquoque genere eius. Unum est, cum contrariae res inter se conferuntur. Charisii: *Alter eorum erat in dando benignus, alter erat in accipiendo astutus: Hunc omnes* [ubi videbant, ultro adibant; in illo omnes causas omnes] *conquirebant, ne ab eo viderentur. Huius enim pudor erat omnibus iucundus, illius autem impudentia ipsi suavis, ceteris amara.* Hoc idem fieri potest in una persona, ita uti fecit Dinarchus, cum ipse de se diceret: *Olim in adolescentia sedulo omnem gloriam sectabar; at nunc in senectute summum me ambitionum invasit odium. Tunc facile multis opitulabar; nunc iam me ipsum tueri vix possum. Tum mihi beatissimus videbar, si quam plurimis benigne fecissem; nunc contra vereor, ne quid mihi desit ad necessarium aetatis meae cultum. Tunc ego ipse pro republica fortiter arma capiebam; nunc praeterquam laudare eos qui rempublicam armati defendunt nihil valeo.* Est autem genus huius, quod in eadem sententia priori verbo [contrarium quod est] inferri et coniungi solet. Isidori: *Non ille stultitia aut furore impulsus tam graves labores frustra subibat, sed ex acerbitate laboris iucundos voluptatis fructus sibi parabat.* Aliud est item, quod superiori infertur, sed con-

---

15 *ambitionum.)* nota pluralem rariorem in hoc nomine; sunt autem varia ambitionis genera.

19 *necessarium cultum.)* nota oxymoron. nam necessaria vitae opponuntur cultui, in quo sunt omnia, quae ad vitam suavem pertinent. Sed cultus in sene necessarius est, quia *tractari mollius aetas Imbecilla* cupit.

sequenter, ita ut fecit Demetrius Phalereus: *Nobis primum dii immortales fruges dederunt; nos, quod soli accepimus, per omnes terras distribuimus. Nobis maiores nostri rempublicam reliquerunt; nos etiam socios nostros de servitute eripuimus. Itaque et amplissimus nobis honos ab omnibus habetur, et propter huius honoris dignitatem superbiae nostrae nemo vestigium experiatur.*

XVII. EPITROPE. Hoc fieri solet, cum alicui rei vehementer confidimus, et de nostro iure iudicibus largimur, ut, quemadmodum videatur illis, constituant, atque eo pareamus. Hyperidis: *Sed ego iam, iudices, summum ac legitimum, quod exposui, meae caussae ius omitto; vobis, quod aequissimum videatur, ut constituatis permitto. Non enim vereor, quin, etiamsi sit novum vobis instituendum,* [instituatis; nedum] *libenter id quod postulo propter utilitatem communis consuetudinis sequamini.*

XVIII. PARRHESIA. Fere contrarium est hoc superiori. Nam in hoc vehementer cum iudice agendum est, et vitium aut erratum eius audacter coram eo reprehendendum. Sed diligenter hoc utendum et raro, assimulandumque est, invitos necessario dicere, ne magis confidentia, quam dolore excitati videamur, atque ita non fides, sed odium iudicum consequatur. Demosthenes: *Sed ego liberam vocem veritatis apud vos omittam? Non, inquam; nec reticebo, quod salus communis dicit. Flagitat vestram operam, Athenienses: in tanto respublica*

---

7 *vestigium)* Falsum est; fortasse *fastidium* verius.

12 *eo pareamus)* *eo* adverbialiter positum; quasi in eo, quod iudices permittunt, se continere et parere; eatenus.

publica periculo est. Vos enim defendere defecistis, temere omnibus credendo, et quorum ignavissima sunt consilia, eorum sententias utilissimas existimando. Item Lycurgi: *Sed vos, iudices, vos hoc facere debetis. Nam cum in sententiis ferundis nocentibus remisse parcitis, vos improborum studium ad peccandum excitatis.*

XIX. AETIOLOGIA. Hoc schema efficitur ratione brevi et sententiosa, ita ut, quod dubium est visum, ad certam fidem adduci videatur. * *Quod vobis, Athenienses, in suadendo assentiuntur, vos fallere possunt. Nam dictum ad voluntatem auditoris obscurat veritatem quaestione utilitatis. Sed ab iis, qui suadent, quod vobis non iucundum est, decipi non potestis. Non enim sententias vestras valent commutare, nisi vobis evidens bonum sui consilii patefecerint.* Item eiusdem: *Etsi acerbum vobis quod dicturus sum videbitur, tamen aequo animo audiendum est. Nam fere verum consilium, quod initio auditu grave est, in posterum cognita utilitate fit iucundum.*

XX. TAXIS. Hoc fit, cum unaquaeque res novissimorum verborum sententia clare distinguitur. Stratoclis: *Nam vehementer eorum vitiis invehi non licebat, reticere omnino non expediebat, suspiciose loqui potissimum placebat.* Dinarchi: *Itaque ut familiares videbantur, hos necessitudine opitulandi adstrinxit, hosque ignotos iuxta benivolentiae causa illexit.*

---

1 *defendere defecistis,)* i. e. defecistis in patriae defensione.
11 *dictum ad voluntatem)* alicuius, est assentatio.
17 *fere.)* nota *fere.* Nam est quidem hic, ut ubique, plerumque, i. e. ex regula. Sed raro sine adiectivo ponitur, aut tam longe a suo verbo distrahitur, ut hic; pertinet enim ad, *fit iucundum.*
22 *vitiis invehi)* contra usum; nam dicimus proprie quidem etiam *inveh alicui;* sed metaphorice semper *invehi in aliquem.*

ANIMADVERSIONES CRITICAE.

EXPLICATIO NOTARUM.

O. omnes libri.

L. Cod. Bibl. Laurentianae Medic. in charta saec. XIV. scr.

l. eiusd. bibl. in membr. sec. XV.

F. Fragmentum bibl. Riccardianae, manu rec. script. IX §. lib. I. continet. Contulit libros A. M. Bandinius.

E. Lectiones codicis adscriptae ad marg. ed. Rhen., quas excerpsit Abr. Gronov.

V. Ed. Veneta, an. 1519. 8. ex cod. e Gallia translato.

R. Ed. B. Rhenani, Basil. Frob. 1524. 4. e cod. Spirensi.

A. Ed. Aldina, Venet. 1523. Fol.

Hae editiones e codd. ductae, et codices ipsi vim et auctoritatem unius codicis habent; nam omnes ex uno exemplo fluxerunt.

S. Ed. Rob. Stephani, Paris. 1530. 4. »Usi amicorum opera Rutilium ita restituendum curavimus, ut praeter duo loca integrum eum dare nos confidamus.« Sed eae crebrae correctiones non libris, sed amicorum ingenio debentur. Hinc autem in edd. sqq. tanquam codicibus confirmatae fluxerunt; cum tamen R. Stephanus unam Rhenani editionem ante oculos haberet, quam ingeniose sane, sed licentius correxit. Rk.

Hac nota, Rk. Ruhnkenii nomen intelligo; non quod eius verba ipsa exhibuerim, sed ut quae copiae illius sint, quae a me venerint, possit iudicari. Praecedenti autem eius iudicio id addam. In Stephaniana quidem

virum praestantissimum interpolatorem recte deprehendisse, sed minus fuisse cautum in reliquis editionibus. Nam in eis etiam plurima, quae a libris recedunt, correctoribus sunt tribuenda, non codicibus ipsis. Idque vel una huius libri inscriptio, quam ex ingenio R. finxit, poterat comprobare. Novimus autem eorum saeculorum morem, quo sua inventa venditare pro manuscriptorum lectionibus non inhonestissimum videbatur. Neque minus interpolatae lectiones sunt, quas praebet E. — Ipse ad Ruhnkenii apparatum quod adderem nihil habui, praeter fragmentum aliquod breve, quod lit. *f.* insignivi. *Caroli Schoepferi* industria id inventum et additum est ad *Adnotationes criticas,* quibus C. Velleii Paterc. historiarum libros emendare studuit. Quedlinb. 1837. Reperit autem ille, ut dicit, ante annos octo in membrana, qua libri alicuius tegumentum erat obductum et codicis partem esse iudicat, qui saeculo p. Chr. nono descriptus sit. Et est sane istud fragmentum satis memorabile. Incipit enim a libri primi capite quarto, eiusque ab his verbis: *quae videntur unam vim habere* etc., et continuatur ad Proculeiani exempli haec verba: *nec se patris mortem.* Post quae librarius addit: *Heic est ingens lacuna in antiquissimo libro, qui est scriptus anno urbis milesimo septuagesimo. excerpta palatina docent perisse heic harumce figurarum descriptiones: epanoioseos* [f. epanorthoseos] *paradigtos* [paradigmatos corr. Sch.] *prosopopoeiae*, *epitrochasmi, dianoeas, symploces, palillogias.* Deinde a verbo, *distet* altera fragmenti pars sequitur, quae palillogias partem atque metathesin integram continet, et a me, numeris tamen capitum haud demutatis, ne numeratio mea a ceteris editionibus discreparet, in Rutilii librum recepta est. Quae si omnia recte habent, suspicionem commoveant, ne Proculeiani exempli ultima verba, quae in ceteris libris leguntur, hic vero in antiquissimo libro iam defuisse narrantur, supposita sint, uti arbitratur Sch., et uti iam ante totum exemplum in suspicionem vocaverat Ruhnkenius. Sed multa sunt, quae

in ea re suspensum me tenent. Nam si ex eodem fonte et ceteri libri et hoc fragmentum fluxissent, cur tandem illi metathesis initia, quae in eis ad verba, *respondisse dicitur* desiderantur, hinc, ubi integra adsunt, promere neglexissent? Sin contra ex alio archetypo hoc fragmentum, ex alio libros ceteros venisse statuas, mirum profecto casum fuisse dicas, qui ex utroque librorum fonte paene eandem Rutilii partem, nec tamen eandem eripuerit. Praeterea id me mirum habet, quod fragmenti librarius hic, ubi lacunam esse in libro suo docet, antiquissimum eum praedicat, et *anno urbis milesimo septuagesimo* scriptum! Hoccine homo, qui saeculo p. Chr. nono vixerit, scribat? Deinde vero, quae sunt eo saeculo *excerpta* ista, ad quae provocat, *palatina?* Itaque aliquam fraudem hic esse factam, aetatis certe antiquitatem librarium scriptura et testimonio esse mentitum, quod ipsa orthographia*) videtur testari, mihi certissimum est. Interpolatum etiam esse librum, in aperto est. Velut in *Paradiastole* (I. 4.) recte libri vulgati praebent: *Hoc idem schema solet illustrius fieri, cum ratio proposito subiungitur.* Nam primum eius schematis genus tantum *res plures disiungit, et quantum distent, docet, suam cuique propriam sententiam subiungendo;* i. e. suam cuique rei propriam *notionem*, quam hodie plerumque dicimus, subiungens; ita enim *sententia* apud Rutil. saepe, velut. 1, 12: *quum verbum iteratum aliam sententiam significat.* Alterum igitur genus *rationem proposito* addit. Ille vero librarius, qui *subiungere sententiam* putaret esse *rationem subiungere*, ita hoc genus ab illo differre credebat, ut hic *ratio postposita statim* subiungeretur; atque ita interpolavit male verba verissima: *cum ratio proposito subiungitur.* Itaque propter has et alias causas adposui quidem Rutilio ea verba, quibus per id

*) Sic enim scribit: *Non mihi prouas te pro astuto sapientem intelegi, pro confidente fortem, pro iliverali deligentem rei familiaris* etc. vel: *praemio corrigendos esse hoemones nequam.*

fragmentum est auctus, etiam varietatem lectionis graviorem hic adscripsi, praeterea vero vix unquam istud fragmentum in usum vocavi.

Lib. I.

Pub. Rut. Lup. etc.) Mss. et V. hunc titulum praeferunt: *P. Rutilii Lupi Schemata dianoeas ex Graeco versa Gorgia.* R. *P. Rutilii Lupi de figuris sententiarum et elocutionis liber I.* Fr. Pithoeus de coniectura hunc titulum dedit: *Ex P. Rutilii Lupi de figuris sententiarum et elocutionis libro I.;* ut significaret epitomen potius esse, quam librum integrum. Auctor ipse, ni fallor, hunc libro suo titulum fecerat: *P. Rutilii Lupi Schemata dianoeas et lexeos ex Graecis Gorgiae versa.* Quomodo eiusdem argumenti libellum inscripsit Julius Rufinianus. Nam rhetorum Latinorum schola non modo figurarum nomina Graeca, sed etiam voces *schema*, *dianoea*, *lexis* adscivit. Vide Charisium IV. p. 246. 249. et Donatum de Schemat. p. 1773. Rk. Atque erit profecto vera ea libri inscriptio reducenda; sed mutare nomen, quod iam in omnes nostrae artis libros abisset, non mihi in huius editionis modestiam cadere videbatur.

LIBER I.

I. *Prosapodosis.)* Nihil iacturae in principio fecit Rutilii liber. Nam Quinctilian. IX, 4. primam ex eo figuram *prosapodosin* laudat. Rk. Exordii tamen iacturam haud dubie fecimus. Ceterum ipsam divisionem per libros duos, quum Quinctiliano teste ex Gorgiae libris quatuor Rutilius unum fecisset, deberi librariis Rk. in Praef. p. XVI. probavit.

posterius) posterior R. *subinferetur* L. I. — *adversis rebus.) diversis* Omnes. Recepimus emendationem V. D. in margine R. Rk.

restituat.) De coniectura reddidi Rutilio: *res restituat.* Rk. Ego vocem additam rursus induxi; nam *adversas res* ad verbum *restituendi* supplere, non nimis durum est; praesertim quum *exsuperet* etiam ut sup-

pleantur *res adv.* postulet, *res* autem, quas addit Rk., ad idem hoc verbum ne possint quidem repeti mente. Si quid mutandum sit, scribi malim, *restituat eas atque* etc.

accidit) ita L. a manu sec. (ceteri libri *accedit.)* Rk.

nimium) minimum O., sed *nimium* manus sec. L. Itemque S. Rk.

voluntas accipiendi.) Concinnius est mea sententia *accipientis*, ut statim, *honorem dantis* Rk. — *honorem dantis) dati* R. — *facit) facis* L. l. V.

desideranti dari) om. *dari* R. ideoque induxit, tanquam cod. auctore, Rk.; ego qui a Rhenano, ut linguae elegantiae consuleret, omissam vocem viderem, restitui; haud enim dubie Rutilio ex Demetrii verbis Graecis infinitivus adhaesit. Neque pauca exemplarium Graecorum vestigia subinde videbis.

II. *Synathroesmos. Cleochari) Clechari* L. l. F. V. *Cleochari* R. S. *Cleocharis* E. A. Hanc formam recepit Rk. Ego maiorem auctoritatem Laurentiano, quam interpolatis ceteris tribuens, formam in *i* tanquam a Rutilio profectam restitui. Quae aliis etiam in locis haud dubie est obliterata, ubi Ruhnkenius eam ex libris proferre noluit.

propr. ei cogitationes) ei emendavit S., libri: *esse.* — *ad remorandum) removendum* L. l. F. V. A. *remorandum* R. S. Rk. — *deficiendum.) efficiendum* L. l. R. V. R. *officiendum* A. *perferendum* S. *def.* emendavit Rk. Quod in oratione, quae tota ad miserationem composita est, praeferendum duxi egregiae ceteroquin conjecturae Ald.: *officiendum.* — *quotidiano) quotidiana* R. S. restituit ex ceteris libris Rk.

III. *Paronomasia. παρωνυμία* A. *Paranomasia* L. l. V. R.

id est huiusm.) estque huiusmodi S. — *nobilem, ingenio mobilem vid.) ingenio mobilem* om. Omnes; habent *mobilem* E. S., ex coniectura. V. D. in margine R.: *genere nobilem, ingenio mobilem* coniicit, quod placet Rk., nec minus mihi; proxime enim in suis exemplis

Rutilius ad argutam orationem solet accedere. Adde, quod pervulgata erat ea paronomasia, qua iam *Fulvium Nobiliorem*, *mobiliorem* Cato irriserat; igitur non sine causa *genere nobilem* nominat, *ingenio* lusurus; praeterea enim *nobilem* dixisse, satis erat. Itaque emendationem recepi. — *At huius — existimavit.)* Ita egregie restituit locum Rk. ex Charis. p. 251 et aliis. Nam O. omittunt, *nunc est locus desertissimus;* praeterea *Ad* O. *sceleratissima* L. *scel. haec op.* V. *locus rel.* O. etiam Charisius, Diomedes, Beda. *lucus* emendat R. Fortasse in tanto librorum consensu audacius, quia res, de qua hic agitur, nobis ignota est, et paronomasia tamen servatur in *religios.* et *desertis.* — *nimirum quom* L. l. F. R. *quem* V. *quam* E. A. *quia* S. *quoniam* coni. Rk. *honoris, oneris* O. emend. Rk.

IV. *Paradiastole. duas aut plures res) plures aut duas* om. *res* O. *plures aut duas res* coni. S. emend. *d. a. pl. res* Rk. — *quae videntur)* his verbis incipit f. — *distent.)* Sic R. F., alii *distant*, quod fortasse retinendum ait Rk.; ego Rhenanum recte coniecisse puto, et quia non solet licentius indicativo uti in orat. obl. Rutilius, et quia hic plane ab unius iudicio oratio pendit, non ad legem quandam communem refertur, ex qua *res distant* per se. accedit praeterea nunc, quamquam non magna, auctoritas fragmenti f. *distans* l. F. V.

subiungendo) subiungens f. Sed amat Rut. Gerundia. idem f. non *Nam*, sed *Quam*, non *opinionem*, sed *sententiam (?)* non *non enim*, sed *non mihi.* — *intelligi)* coni. Rk.: *intelligenti*, eleganter. — *Nullum est enim) non e.* f.; idem non *possis*, sed *potes*, non *proposito*, sed *postposita statim* et, *Sic idem huiusmodi.*

nolo te saepius) omnino scribendum, *noli*, vel *nolito.* Rk. Non puto, propter *saepius*, quod magis eius est, qui se ipse corrigit, quam qui alium. — *magis eges) plus e.* f. *Ita) Hinc* f. *sequitur)* Sic O., sed *consequitur* R., quod recepit Rk., ego, tanquam Rhen. inventum, sprevi.

V. *Anaclasis. Hoc schema)* om. f. Exemplum Proculeianum aliunde inculcatum censet Rk. Ego, cur id

suspicemur, non video; causa enim, cur latino exemplo uti maluit, hic eadem est, quae erat in Paronomasia. Sin aliqua fides tribuenda est Schoepferi fragmento, finem certe a verbis, *nec se patris mortem*, ubi hoc desinit, a librario aliquo additum arbitreris.

filium suum) *suum* om. f. — *ex bonis ipsius sumptum faceret)* *ex b. ipsi sumere tam facere* L. l. F. V. *ipsi sumeret tum faceret* R. A. (sed *ac fac.*) emendavit S. — *nec tum denique)* *et* O. *nec* correxit S. — *promisce)* *promisse* O. *promiscue* S. *promisce* emend. Rk. *promissa* f. — *filius respondit)* *respondisset* O., etiam f. correxit S.

subiecit) *sufficit* O. correxit S. *velim meam)* *ne meam* O. *velim* emend. Rk. Stephanus ita correxerat: *immo, oro, inquit, ut meam mortem exspectes.* Quod et elegans est et propius etiam ad codd. scripturam accedit; sed verbum vehementius, *oro*, a tenui hoc ioco, tum ab ore patris filium adloquentis nimis mihi abhorrere visum est. Praeterea in loco varie suspecto Ruhnkenii auctoritati concedere malebam; alioquin ab utroque viro praestantissimo partem mutuatus scripsissem: *immo vero, ut meam mortem exspectes.*

Palillogia — distet.) Hinc iam verba ea sequuntur, quae Schoepferi fragmento debemus. Orationem ab initio truncatam partem esse Palillogias, iam vidit Sch. Idem correxit *Gorgiae liber*, cum cod. habeat, *Gorgae* om. *liber*. *Athenienses)* verba quaedam in membrana legi non possunt; *viri si* fuisse Sch. suspicatur. Putarim, non *viri*, sed *Quirites* compendiose fuisse scriptum, quod librarii saepe in Rut. ponunt pro eo nomine, quod recepi, *Athenienses.*

VI. *Metathesis. Hoc schema iucundissimum fit)* non solet ita commendare schemata Rutilius, magisque etiam proxime recurrens superlativus *notissimum* animum advortit. Lacunam ante, *respondisse dicitur*, quam explevit nunc f., S. explet: *Plato interrogatus, qui resp. beata fieret, resp. etc.* — *sapiunt — imperant)* *sapiant — imperent*

perent f. — *amic. probatam) approbatam* O. praeter R. et f.; idque fortasse tuendum erat, et deinde scribendum *approbare.* nam ita et librorum consensus suadet et mos Rutilii alliterationem studiose ambientis. Sed crebra repetitio syllabae *ap* aures offendit, idque coniecturam quo minus reciperem, me retinuit.

VII. *Epibole. diversis sent.) divisis* R. S. — *habeant) habeat* O. Caussinus edidit *habent,* improbante Rk.; sed *inter se* facit, ut plurali carere non possimus; itaque scripsi, *habeant.* — *saepius quae) saepiusque* L. R. unde *Quae ab — saepiusque* S. — *unius opera mea) mea un. op.* S. — *non concit. b.) compressum, non conc.* S. Ex quo falsa oritur sententia, quam etiam Ruhnkenium, qui locum mutilum censet, latuisse dicas. Est autem haec: Iuventus omnia agebat, ut bellum concitaret; quod non concitatum est, ego mea opera effeci. Commovit viros doctos verborum ordo insolitus, simplicior futurus: opera mea bellum non necessarium non concitatum scitis, vel omissa negatione *consopitum.* Ut autem in *non concitatum bellum* omne orationis pondus caderet, praemisit. — *in summo tempore periculi) periculi* nomen *summi temporis* glossam esse suspicatur Rk. — *deprecandam) decernendam* O. correxit Rk.; quem, quia *deprecari* proprium verbum est eius, qui misericordiam commovere studet, secutus sum, quamquam longius hoc verbum a ductu literarum recedit, quam quae alii coniecerunt, *depellendam, defendendam, declinandam.* — *quae eandem vim habet)* fortasse hic etiam erat scribendum *habent.*

quod omnium vestrum) q. dominii vestri O. (nisi quod *nostri* L.) correxit S. Fortasse tuendum *vestri.*

VIII. *Epiphora. inciderimus) inciderim* R. S. *novissime)* ita R. A.; ceteri libri *novissimae.* — *proinde atque)* ita R. S.; ceteri om. *proinde.* Puto istud *proinde* non ex codice, sed ex Rhenani ingenio esse. neque enim hac particula utitur Rut., sed *prout.* Idque hic quoque reducendum arbitror. Ceterum *proinde* non poni pro

part. *perinde*, ut putat Rk., non est, quod doceam. — *succensuit) successit* R. S.

IX. *Coenotes. novissimo.)* Sic L., ceteri *novissime. quomodo ne.)* Sic L. l. F. R. *quem ne* V. *quo ne* A. *quomodo tr. ne* S. — *at his a consiliis) at his* om. O. *a* mutant E. et A. in *at;* sed sic magis abscondunt verum, quam aperiunt. Nam non negat omnino consiliis posse opes augeri; unde enim augeantur, nisi consilio? sed eis consiliis, quibus quaerebant, quomodo tributa ne conferrent. Itaque *at his* addidi, quae absorpta erant syllabis proxime praecedentibus *conferat is.* praepositio *a* ponitur magis usu Graeco, quam Latino, aureae quidem aetatis; quo dixissent, *ab his consiliis profecti.* — *fractas)* ego correxi; libri *captas; consiliis coeptis* S.

X. *Polyptoton. existimatis esse) existimatus esset* O. correx. E. et S. *quemquam) quempiam* V. A. — *propter has causas)* suspicatur Rk., *propter hos casus;* probabiliter quidem. sed in talibus nihil affirmare possumus. — *exploratam spem) imploratam* O. qui primus correxerit, Rk. non addit. — *anteposuistis) praeposuistis* R. *praefecistis.)* Sic O. unde restitui; *fecistis* E., unde Rk. assumsit, quem Excerptorum interpolatio fugiebat. — *omnium vestrum fort.) nostrum* O. correxit R. — *rationem reposcere) rationem* om. O. restituit S. — *Patri tu filius es)* mutavit ex Quinctil. IX, 3. S.: *patris tu huius filius es.* S. — *nullo cons.) nunc cons.* l.

XI. *Epanalepsis. tamque evidentes) iamque* l. V. R. — *remp. venalem) te remp. venalem* scripsit S. *pertimuissent)* videtur coniunctivus vitiosus esse; accedit, quod epanalepsis, *(qui — me in malis* etc.) ut gravius in aures incidat, aliquid efflagitat ponderis, quod vitioso *muissent,* nobis ereptum videtur; fort.: *pertimescunt*, *miserum me* etc.

XII. *Diaphora. Hoc schema est) est* O. om. addidit Rk. ex sqq. assumens, ubi codd. male, *ac significavit dictum est.* — *quemvis etiam extrar. hom.) quamvis enim extrariorum hominem* L. l. V. R. *quemvis extrariorum*

hom. A. *quemvis exterorum hominum* S. nostram lect. habent E. *Universum.) In universum* S. Rk. de hoc loco, quem interpungit: *Universum mulierem: quid potius dicam, aut verius, quam mulierem?* desperans nihil posse statui affirmat. Ut ego distinxi, duae formae sunt, quibus *mulierum* nomen ethice bis ponitur. Quod si placebit, figura diaphorae in utraque forma dimidiata esse dicetur, quia prior pars, in qua *mulier* proprie ponebatur, omissa est. Neque tamen verisimile est, a muliere esse bis exemplum petitum, idque truncatum. Itaque correctione opus est, ut utrumque exemplum coalescat in unum, velut: *Veni visum mulierem. Quid potius dicam, aut verius, quam mulierem.*

XIII. *Epiploce. catenam) catena* L. I. *catenae* R. hinc, *catenae — vinciuntur* S. *catenam* V. A. E. — *utilitatem — continent) continentur* L. I. V. *utilitates* R. hinc *utilitate continentur* S. E. nostram lectionem habet A. — *abstrahit) abstraxit* S. satis probabiliter. — *praedo, ne) praedonem* R.; hinc *opinor, non suum ut malef.* S.; deinde idem, *sed ut, cum* etc. et pro, *ab his rem gestam audirent, a vicinis r. g. a.*

Haud mihi mirum) *At* O. emend. *Haud* Rk. *At nihil mirum* S. *tam excelsum boni gradum) honoris gradum* coni. Rk. Eleganter, sed nihil audeo; etiam II, 19. Rutil. praeter consuetudinem: *nisi vobis evidens b o n u m sui consilii patefecerint.* — *escenderit) excederit* O. *exceperit* S. *escend.* emend. Rk. — *studii voluntas) tua vol.* O. *sua vol.* S. idque recepit Rk. sed non quaevis voluntas industriam necessario efficit; erat igitur accuratius definienda, quod feci, corrigens *studii.* — *industria sit) industrius* O. correxit Rk. cui parui; quamquam durius ad aures Latinas oratio accidit, quam si *industrius* manet, propter supplendum dativum *ei.* — *vera et stabilis f.) vera et facile f.* O. *facili* S. *vere et facile* Rk. Sed non *facile* oritur felicitas tanto labore parata. Itaque correxi *stabilis.* sequentia, *non enim temere* etc. emendationem comprobant. *felicitas* etiam *laudis* mire

dicitur; laus videtur esse ea, quae causarum patrono propter eloquentiam felici contingit. — *temere)* sic A. ceteri, *tenere.*

XIV. *Polysyntheton. convenienti copula) copia* O. correxit V. D. in marg. R. — *Ille hunc pone constr.) poena* O. *catena* corr. Rk. Sed agitur de homine libero, quem catena constringi ab homine privato, inauditum; *constringere* autem de quovis arto complexu, *trahere* de invito omni dicitur, quare ne haec quidem verba *catenam* flagitant; quapropter literas rimatus scripsi, *pone.* — *Neque enim magistr.)* libri, *neque ibi;* sed polysynth. hic particulam aliam desiderat, quod per *sed, nam, vero, enim* huc illuc audientium animos non sine arte rapit; rescripsi igitur *enim.* — *Dinarchi) Diarchi* O. *Diarchae* R. correxit Rk. — *strenui quid agere con.) strenue quid agerent con.* O. *agere* corr. Rk. Sed aliud praeterea vitium latebat. nam post acrem divisionem *auxilii,* aut *silentio* aut *clamore* ferendi, agere *quid* strenue nimis vage infertur, et plane abundat; itaque correxi *strenui quid,* quo in unam notionem adverbialem utrumque nomen coalescit. Posset aliquis etiam haerere in verbo *poterant.* Nam non quid potuerint socii, quaeritur, sed quid ausi sint, et quam se fortes praebuerint. Quid, quod etiam absurdum erat irridere *praeclara* ea *auxilia* si nihil *poterant* facere? Videtur autem *posse,* Graeco more, magis quid animi *δυνάμει* et vi valuerint, vel potius non valuerint, describere, quam quid omnino per eos potuerit fieri. — *erigebat) exigebat* O. correxit J. F. Heusinger, prob. Rk.

XV. *Dialysis. articulis)* mirum profecto, quod in contrario schemate *articulis* de ipsis orationis membris, hic de orationis copulis uti voluit; unde scribendum suspicor, *articulorum copulis.*

Daphnidis) Daphnis L. l. V. R. S. *Daphnidis* E. A. recepit Rk. — *nomini)* Legendum videtur *molimini* Rk. Non puto; *nomen* est auctoritas, et optime respondet ei insequens *vereri.* — *protervitatem compescere) posteri-*

tatis crescere O. Deploratus locus, cui S. et sequentes editores stellulam apposuerunt. Nos nihil ingenio assequimur. Rk. Ego mihi correxisse videor; ex compendiis male solutis utraque vox corrupta est. Ut ad *nomen*, *vereri*, ita ad *protervitatem compescendam*, *minae extimescendae* argute referuntur. — *Omnia feci)* O. *fieri* l. V. — *neglegebat)* Sic libri; *negligebatur* E. A. idque recepit Rk. Ego rell. libror. auctoritatem praefero; sed propter orthogr. constantiam dedi *negligebat*. ut iste *minas contemnebat*, ita *negligebat magistratus*. Etiam similis exitus, (homoeoptoton) praeter dialysin quaesitus est.

XVI. *Metanoea. ipse se)* om. *se* O. addidit R. et hinc S. — *per ipsius vitam) vitia* O. *vitam* emend. Rk. ex Demosth. — *ut huiusmodi omnes homines) omnes hos* O. Sed pronomen *hos* aperte falsum est; nam obiectum iam latet in genitivo *huiusmodi*. in Demosthene autem est *οἷς ὁ δῆμος καταρᾶται;* unde corrigendum videbatur, e cuius vocis compendio *hos* originem habet, *homines;* nam *omnis populus* si corrigeretur, audires Terentianum illud: *hoc populus curat scilicet!* Aliam viam corrigendi quaesivit A., eumque secuti S. et Rk.: *sed huiusmodi*, *ut omnes hos.* Sed manet *hos,* etiam ita vitiosum; debebat enim esse *eos*. praeterea suus Rutilio mos ademptus est. is enim ironice *huiusmodi*, ut alii *eiusmodi*, frequentissime ponit, velut in exemplo proximo: *huiusmodi inceptum duntaxat.* — *sero, sero) serio, sero* O. *sero* corr. E. S. — *his paucis dieb.) hic* L. l. V. R. *iis* E. *his* A. S.

eius huiusmodi incept.) eius om. O. ego addidi, quod similitudo vocis proximae hauserat. *huiusmodi inceptum (armis aliquem lacessere)* i. e. tam mite inceptum, opponitur ironice *caedi perfectae. huiusmodi incepti d. ar.* S. *hunc incepti d.* V. D. in marg. R. *huius inceptum d.* Rk. coniecerunt. — *maleficii) malefici* libri, quod male mutarunt in form. *maleficii* E. A. et S., quasi vitiosum. Quum tamen scholis hic liber tradendus esset, retinendam censui scripturam nunc vulgatam *ii*.

XVII. *Parenthesis. ineptum) inceptum* O. corr. R. — *auribus accidere) accedere* O. emend. Rk. — *tum oris satis liberi) commodi satis liberi* L. *liber* ceteri, male corrigentes. *vehemens*, *et in reip. commodis satis liber* coni. S. Ego quoties *com* et *tum* confunderentur memor, et oris libertatem flagitari in hac sententia intelligens, correxi ut vides, est autem *tum καὶ δή*. — *Vixdum audieram) vixdum* om. O. Ego haustam a praecedente *eiusdem* addidi. — *cum statim)* sic iam correxit R.; ceteri *tum*. *Cum — audieram, tum — feci* suadebat Rk. — *certiorem feci*) *c. fieri* V. — *in templo gestum*) *est* addit S.

XVIII. *Merismos. virilis naturae membra*) sic libri; verba *v. n.* tanquam glossema uncis inclusit Rk., ego plane induxi. — *Aristotelis.*) Miretur aliquis, Aristotelem hoc virtutis testimonium Alexandro tribuere potuisse. Rk. *Aristobuli* nomen reducendum ingeniose suadet Classenius meus, quocum has lucubrationes amice communicavi. — *benignitas*) *dignitas* A. E.

XIX. *Paromologia. aliquot res adversario*) *aliquo tres adversarios* L. l. V. *aliquas res adversarios* man. sec. L. — *off. tua in illum non.*) *off. tua nonnulla in illum* R. — *exstitisse*) hic etiam fuisse verbum finitum, idque excidisse; velut: *officia tua in illum nonnulla exstitisse viceris*, mihi persuadeo; ea est in paritate membrorum Rutilii curiositas. Vides praeterea, consulto ea officia extenuari, *officia in illum nonnulla.* eo igitur pertinet ironice addita grandiloquentia, *viceris;* sed *nemo negat;* i. e. id omnes sciunt, non commode refertur ad officia quaedam hominum privatorum. — *in quo scr. hic est*) *scr. non est* man. pr. L. — *de meo officio*) *de medio off.* L. l. R. A.

Scripsisti — afficeretur.) Libri non *scripsisti — scripsi,* sed *scripsisti* per omnia habent. Egregie emendavit Rk. Sed quum interpungeret, *scripsi, ne* etc. malui scribere, *scripsi; ne*, ut magis appareret, *scripsi* esse concedentis, deinde addi per *ne* legis explicationem. si

scribas, *scripi*, *ne*, possit oratio esse corrigentis videri. Praeterea libri *detur*, quod S. iam correxerat, *daretur*. Cui iniquior Rk. non obsecutus est. Sed vix in hac orationis continuatione temporum varietas quaesita fuerit; potius *detur* ex compendio *dẽtur* ortum. — *non negligebas*) scribebat. Rk. J. Tollii auctoritate commotus, *nonne legebas*. Non recte. Nam debebat interrogari, *nonne legeras?* Deinde haec interrogatio excusationem magis suppeditaret Hyperidi, quam legum neglectarum (*παρανόμων*) accusationem. Neque poterat respondere Hyperides: *Non poteram*. Cur enim propter arma legere leges non poterat? Et quid eas legere attinuit, dudum latas? Sed quum Aristogito excultans quaereret: *non igitur leges negligebas?* Ille, *non poteram non negligere*, respondit, *propterea quod* etc., sic denique *aliquid infertur*, *quod omnia quae posuimus infirmet*. — *obficiebant*) *obsistebant* O. correxit Rk. ex Pseudo-Plutarch. apud Photium, qui Hyperidis verba referens habet *ἐπεσκότει*.

XX. *Anancaeon*. *Miron* L. *Chremonides.*) Sic R. ceteri *Cremonides*; *Chaeremonides* coni. S.

XXI. *Ethopoeia.*) *Ethologia* R. et hinc S. Definitio schematis periit. — *magno calore*) Sic corr. R. et hinc S. libri, *clamore*. — *viae molestiam*) *v. molestum* L., quod quamquam minus ex consuetudine linguae latinae, tamen fortasse tanquam Rutilii manus tuendum erat. — *fer fortiter demum*) *ferri* O. correxit S. *demum* ex Festo (*alii demum pro duntaxat posuerunt*) recte interpretatus; est enim oratio se increpantis; tamen deinde coniicit, Rk. *extremum laborem*; quo oratio insequens frangitur; debet enim non exspectata ad aures accidere haec consolatio: *iam brevi domum venies*. — *venies*) *veniens* O. corr. S. — *detrahet*) *detrahit* libri, corr. A. et S. *reparabit*) *recuperabit* O. *recuperabis* coni. Gron. *recreabit* vel *reparabit* Rk.; utrum verius sit, unde comprobem non habeo. — *recogitatio*) *cogitatio* maluit S., fortasse recte; nam movet vox ipsa suspicionem, auget

syllaba *re* extrema in *itinere*, fortasse male repetita. — *parentem*) *patrem* dedit S. — *dissoluto vultu*) malit Rk., quia *dissolutum vultum* nemo dixit, *solutum vultum;* quem tamen quum *serenum*, *tranquillum*, *placidum* interpretetur, alienum ab hoc loco esse ipse docet. est enim *dissolutus vultus*, sane praeter consuetudinem factus a Rutilio, ut alia non pauca, dolore languidus et confectus. — *supplicem precario*) *precari* O. Hic infinitivus praes. inter tot futura etiam Ruhnkenio durior videtur; et ante eum S. correxerat *precaturum;* lenius ego *precario; o obsecraturum* subsequens hauserat. — *aliter atque* [putaram] *Putaram* ego apposui; aliquid deesse etiam Rk. iudicavit; S. mutat *atque* in *namque.*

LIBER II.

P. Rutilii Lupi schemata lexeos de libro secundo L. I. V. A. *P. Rutilii Lupi de figuris elocutionis liber posterior* R.

I. *Metabasis. convertimus*) *convertimur* S. — *ut fortunam*) libri *aut f.*, *ut* correxit S.; mihi glossema videtur e proximo exemplo petitum. — *uti fecit*) *ut is fecit* O. correxit Gesner et Rk. — *locuples et potens*) *et* om. L. R. et hinc S., quos sequitur Rk.; sed copulat Rutilius, *locuples et potens*, ut statim, *in amore atque deliciis;* curiosus est eiusmodi elegantiarum. — *ei ex opibus*) *eius opibus* libri. Sed vix ita Latine dicatur; unde correxi, *ei ex opibus.* — *magnus ancillarum*, *quae sequebantur*, *comitatus appellabatur.*) Rk. glossemate locum foedatum ratus legit: *manus ancillarum sequebantur;* huic aliquem adscripsisse, *comitatus appellabatur.* Quod mihi non persuadet. ego potius ante verbum *appellabatur* quaedam excidisse putabam, quibus potentis eius mulieris dignitas describeretur. Itaque ex instituto huius libelli aliquid inveniendum erat, quod propter similitudinem syllabarum inter *comitatus* — *appellabatur* interiisse videretur.

Alterum

Alterum genus — revocamus) *Alterum genus id quod demonstrare instituimus, cum aliam rem et orationem atque actionem nostram revocamus* L. l. itemque V. A., sed *ad aliam rem* scribunt. *Alt. gen. est, i. q. dem. inst., cum ad aliam r. et actionem atque orationem revocamus* E. R. *Alterum genus est, cum ad id, quod demonstrare instituimus, ab alia re et actionem et orationem revocamus.* corr. S., prob. Rk. Et est sane elegans ea oratio; sed audacius a libris recedit. Itaque integriores libros, L. l., rimatus, sententiam, *id quod demonstrare instituimus,* excidisse, dein non suo loco repositam esse vidi; id igitur feci addita praepositione *ad,* quam servarunt V. et A., cetera omnia intacta reliqui.

posterius [huic] dic.) huic om. S. *hic* corr. Rk. ego cum Stephano glossema ratus uncis inclusi. videtur aliquis ad rariorem casum, *alienam huius,* dativum *huic* adscripsisse. — *agebam) agendum* O. sed accuratius descriptum tempus, *paulo prius,* videtur rem factam, non faciendam notare, itaque corrigendum, *agebam.*

II. *Alloeosis. separatio est etc.) separ. est, personarum autem et rer. demonstratio, quant. inters.* R. unde S.: *sep. est person., aut etiam rer. demonstr., quant. inters.* — *anim. adverteramus) a. advertamus* A. blande, sed obstat insequens *erant.* — *studio laudis) stadio* Pricaeus ad Appul., prob. Ruhnk.; sed verba, *versari, industria,* ab ea coniectura, ambitiose et oratoribus et poetis ab istius temporis viris criticis invecta, nos revocant. — *virtutis vitam) industriae virtutisque viam* Rk. eleganter, sed praeter necessitatem; nam *vitam* i. e. vitae rationem nos *sequi, industria virtutis gloriosam* recte dicimus. opponitur autem Rutilii more arguto *industria virtutis studio laudis.* — *legibus valeat) vallat* L. l. V. R. hinc *vallatur* S. ingeniose, sed obstat *dominetur;* igitur verius *valeat* corr. E. *dominetur) dominatur* S. — *quotidianam)* mavult Rk. *quotidiano.* — *commentare) commentari* S. quod fortasse erat recipiendum.

III. *Dicaeologia. Hoc*) *schema* addit S. — *qui id quod — vindicandum*) *quidquid naturae valeat et in uno arb. vindicanda* O. *qui, quid natura valeat, ignoras: acerbusque et iniquus es, qui quod aequaliter omnibus putes ignoscendum, uni imputas, et in uno arbitraris vindicandum* S. acute mutat *et in uno* in, *ignorat;* sed acutius esse inventum, quam verius, effecta inde monstrat necessitas transponendi verba, *et in uno* etc. *qui quod naturae placet, in iuvene arbitraris vindicandum* Rk. Cur non *placeat?* nam sequitur *putes;* sed *in iuvene*, quamquam primo aspectu placet, verum non est. Nam sic *quod naturae placet* opponeretur quodam modo *iuveni;* et esset sententia, quod in omnibus valeret, id minus etiam esse in iuvene castigandum. Atqui apparet, nunc de eiusmodi rebus tractari, quas quum in adolescentulis flagitium non esse antiquitas putaret, in viris tamen reprehendebat; igitur quod naturae placet, non ad omnes referendum, sed ad adolescentes unos. Foret igitur interpungendum, *quod naturae placet in iuvene, arbitraris vindicandum.* Id vero fieri non posse propter multas causas, per se intelligitur. Quapropter meam correctionem praefero, *quod naturae valeat instituto.* Quod institutum quale sit, praecedentia, *quod homo adolescens lapsus sim*, satis aperiunt. Et recte *institutum* dicitur *naturae*, quod naturale est, ad quod natura adolescentiam instituit.

acerbusque et iniquus) *et* om. O. addidit S. — *qui id quod*) *quidquid* O. *qui quod* Rk. ego utroque loco *id* servandum arbitratus sum. — *omnibus ign.*) *ab omnibus* O. *ab* delevit S. R. — *uni imputas*) *imputans* O.

et vituperem) *et vituperationem* l. V. — *arbitratus es*) *a. est* V. R. — *conscium*) *quem sciam* O. (sed *quemnam* l. E. V. A.) *conscium* ego correxi; neque enim de se iudicat Lysias, sed de amico et eius ad officium reditu. Est etiam haec oratio, maxime propter pronomen omissum, *se*, durior, quam si Graece vertas; sed propter id ipsum corrigi nolim, *qui se sciat.* — *in me*

admis.) in se S. — *reliquum tempus) in rel. temp.* scribit ex R. Rk., non recte; est enim *rel. temp.* nominativus. id vero ipsum additamentum meam emendationem comprobat. Nam iste beneficio nullum locum relictum esse videt, quia facinoris magni sibi conscius est. Sed subabsurdum est dicere, *illum* amicum fore despero, quia *ego* tanti *eius* facinoris conscius sum, ut *ille* in me benivolentiae spem nullam collocari posse intelligat.

IV. *Prolepsis. Atque) Atqui* R. quod sequitur Rk.; ego ceteros libros praefero. — *qui sit) quis sit* O. corr. S., prob. Rk. — *inopiae) inopiaeque* S. — *humanitus) humanitatis* L. l. V. (*humanitate* m. s. L. l.) *humanis prec.* E. *humanitis* R. *humaniter* S. correxit Rk. — *deprecanti) deprecantis* l. (L. a. m. sec.) V. A. E. — *quo minus) communis* R. hinc S.: *cum omnibus.* — *ut paratus) imparatus* R. S. — *videtur) videbatur* O. correxit Rk. — *negabit) negavit* L. l. R. hinc etiam error *videbatur* supra. — *sic se agentem) sic* om. O. correxit Rk.; iam ante *se* in *sic* mutarat S.

V. *Horismos) Orismos* O. — *exercitatio) exercitio* R. *verae* corrigit V. D. in marg. R. *et tum) et* om. S. — *ita: furtum fecit* etc.) Libri: *ita ut fecit dives avarus: In villa* etc. Ruhnkenius scribit: *ita ut fecit Dinarchus: Dives avarus in villa aedem fecit Fortunae.* Fragmentum ipsum ei mutilum videtur. Sed et oratio simplicissima et rerum praecisa brevitas aperte mihi videtur monstrare, hic non oratoris exemplum proponi, sed merum rei argumentum. Quod si est, neque Dinarchi neque cuiusquam nomen quaerendum est, sed *ita* exemplum fictum inducit, idque ab ipsis verbis proximis incipit. Iam alterum, quod de avaro divite narratur, certum est: *Fortunae aedem fecit.* ab ea, avari patrona, definitio ad utilitatem petitur, i. e. a *temeritate illius deae.* eique definitioni ratio subiungitur: *crimen arguitur* temeritate illius, i. e. temere factum decere eum, qui temeritatis deam sibi patronam elegerit. Omnia igitur ad schema hic recte habent, praeter factum

ipsum; nam *crimen*, quod arguendum est, nusquam legimus, quo tamen nullo modo possumus carere. Id igitur debet latere in vitioso *ut*, post *ita*, quo exemplum inducitur; idque coniicio esse *furtum*. Nam a *temeritatis* definitione arguitur crimen. quid autem magis temerarium, quam furari divitem? Ea porro dea *copias largas* concesserat diviti; ergo debebat crimen in copiis male quaesitis esse positum; quod autem crimen, ad copias augendas pertinens, aut in *ut* latere commodius, aut ad verbum *fecit* referri melius possit, quam *furtum*, nihil invenio.

crimen arguitur) augetur suadet Rk.; sed contra schema; ratio enim supponitur. — *locupletis)* Omnes scribunt praeter E., qui *locupletes*, quasi ita vitium eximeretur.

VI. *Prosopopoeia. personas in reb.) iis rebus* S. — *sermonemve)* ita L. I. A. *sermonemque* E. om. *que* V. *actionem ac serm.* R. — *Namque*) *Nam cum* O. *Nam* corr. Rk.; ego *cum* non abiiciendum ratus, *namque*. — *et pater) est pater* O. corr. E., prob. Rk. — *Haec fac.) Huic* O. corr. Rk. S. locum ita constituit: *Nam cum crudelitatis mater est avaritia, tum pater furor. Ea huic facinori* etc. — *quid si tandem iudice natura hanc*) *Q. s. t., iudices, hanc* O. Vitium acute vidit S. et scripsit: *Quid si tandem, Iudices, apud ipsam naturam hanc. iudice natura* V. D. in marg. R. — *ut quae) atque* V. R. *atqui* L. I. A. *ac quae* S. *quae* V. D. in marg. R. quod amplectitur Rk.; ego *at* servaturus, *ut quae.* — *virilem et mul.) vir. et* om. O. apposuit S., sed ordine inverso, *muliebrem virilemque;* melius Rk., ut ego exhibui. — *et ego hunc) et* om. O. *ei ego* S. *et ego* Rigalt. ad Phaedr. IV, 14. quod mihi verum visum est; Rk. malit, *et hunc ostenderemus.* — *muliebri* — *abusum) tui liberi ritu esse suo corpore ad lusum.* correxit egregie S. — *sed deprav.)* ita A. ceteri, *se.* — *convertere properasse) convertere se properasset* S. praeter necessitatem, ut monstrat Rk.

accidere) accedere O. corr. Gesner. praeterea *genibus* pro *vobis* suadet Rk. — *et matresfam.) et* om. O. addidit S. — *parentes vestros)* sic R.; ceteri, *nostros*. — *obsecrare pro sacris) pro* O. om., praeter A. addit etiam S. — *agat) agit* O. *ageret* et deinde *essetis hab.* S. retinet *agit* Rk. Sed exemplum fictum coniunctivum, insequens futurum coniunctivum temporis praesentis flagitat; igitur correxi *agat*.

VII. *Characterismos. aut vitia) aut vitas* O. correx. Casaub. ad Theophr. — *Lyconis)* sic A., ceteri *Lyconi*. — *producit) produxit* S. — *prioris diei) prioribus* O. *ex primis horis diei* S. — *vix merid.) via merid.* O. correxit S. — *oc. mero madidis) marcidis* coniicit Rk., quia proxime, *humore occaecatis*. Sed *madidi* sunt ut *marcidi* temulentorum, non humentes. — *visco gravidis) visu* O. *vino* Casaub. *visco* C. Barth. et Gesner, prob. Rk. — *pallio) palleo* L.

soleatus betaceo) sol. prae lectulo O. *ut e lectulo* Casaub. *super lectulo* Barth. coniecit; ego, quia aegrotantis descriptio est, putabam *soleatum* aliquid additamenti quaerere, quia soleis domi plerique utebantur; itaque scripsi *betaceo*, quo podagrici ligare pedes solebant. Sed utrum verum sic invenerim nec ne, ipse haereo. Itaque quid praeterea coniecerim, aliorum fortasse labores occupaturus addam: *praeligato palliolo;* sed id ad frontem melius, quam ad frigus capiti depellendum referretur; *praetextato pall.;* sed nulla orationis pars hic ad ornatum corporis et mollitiem pertinet; *pellicatus;* sed id, quamquam aptum ad personam, (cf. Hemsterh. ad Lucian. Timon. T. I. p. 345. Jacobs Anthol. Pal. p. 909. Aristoph. Eq. v. 400) tamen ut praetextatum palliolum mollius, ita hoc inhonestius videtur in eo, qui est initurus convivium. Alii fortasse ex his aliquid praeferunt *betaceo*.

flexa cervice) floxa l. unde *laxa* coni. Rk. — *exsiccatus) excitatus* O. Sed non video, quo iure nunc hic homo *protinus excitatus* vocetur, quem supra iam

legimus aegre expergefactum, tempore meridiano, deinde duobus innixum et sublevatum, tum vestitum et nunc submissis genibus in triclinium tractum. Itaque scripsi, *exsiccatum*, quod optime refertur adverba cupiditatis plena, *protinus trahitur.* Et solent crapulosi aridissimi esse. adde, quod *excitati* proxime sequuntur. — *e nausea — excitati) pauci* O. Iam Rk. observat, satis multos affuisse, et vocem, *pauci* esse corruptam. itaque coniicit, *nec pauci*, quod languere mihi videtur. *e nausea*, quod ego dedi, certe ex hominum eorum ingenio petitum est.

mentis ac sensus) menti ac sensu L. l. V. R. *sensui* A. correx. S. et E. — *poculis extrudere meracibus) extr. ex ea* O. quod S. delevit, prob. Rk., mihi *meracibus* latere in vitio videbatur. — *bibendo provoc., lacessit)* addit S.: *et eos bib. provoc., et lacessit. revocat* l. — *si, ut in hostium praelio) sicut* O. ego correxi. fortasse erat addendum correctioni, *in hesterno praelio.* Rk. coniicit. *sicut in praelio hostium quam plurimos.* — *superarit atque afflixerit) superarat atque afflixerat* O. quod frustra defendere Rk. conatur. correxit S., qui totum locum ita dedit: *perinde ac si in hostium praelio quam pl. superarit atque afflix.*

simul et illuvies turpis) simul et illud tempus O. ego correxi. — *potatio) potio* libri; correx. S. — *alius somno) aliud* L. V. *somnio* R. — *domini interdictum) domum* L. R. *domum interdictam* l. V. A. correx. V. D. in marg. R. *Interea alium) item al.* l. V. A. *inter alium* L. R. (m. sec. L. *item*) *interim al.* E. ego veri vestigia optime servasse L. ratus, correxi *interea*, ut *alium* particulae terminationem hauserit. — *vacillantem) vacillanter* L. l. V.

VIII. *Brachylogia. Brachyapa* L. l. V. *Brachyepia* R. *Brachylogia* A. E. et ita ex Rutilio citat Quinctil. IX, 3. Rk. *Quaeres* O. Atqui rem non fingi, sed praesentem agi, omnia testantur; itaque scripsi, *quaeris.* — *quo iure — veritatem sequuntur.)* Haec in libris ita leguntur: *Quaeres a me, quo iure obtinere possim, quo*

iure mihi Polyaenus reliquit, praetor dedit possessionem? Leges me defendunt, ad te non pertinent, hi veritatem sequantur. In quo iam Rk. movit modorum varietas, *possim, dedit, reliquit.* Sed miror, quod non multo maiora eum magis moverunt. Nam ubi accusativus est rei, quae *iure obtineri possit?* Deinde qua in parte *brevitate sententiae praecedit auditoris expectationem orator?* Haec autem omnia solvuntur, si corrigis, *quae iure mihi P. reliquit.* Nam haec iam oratio obiectum erit ad verba, *quo iure obtinere possim.* Nunc etiam indicativus *reliquit* recte habet, nam aberrat oratio ab interrogatione ad affirmationem; et quod maximum est, praecedit orator auditoris exspectationem, nam in ipsam adversarii quaestionem, quo iure? iure sibi ea relicta esse intrudit. Sed nondum omnia perfecta sunt; nam illa, *ad te non pertinent,* quo pertinent? num leges ad adversarium non pertinent? Immo ea, quae iure Lysiae relicta sunt, ea ad istum non pertinent. Illuc ergo haec oratio erat referenda; et sic pronomen *quae,* a quo in altera orationis parte *(praetor dedit)* paulo declinatum erat, rursus assumitur, *quae ad te non pertinent.* Denique nunc demum *leges me defendunt, hi (iudices) veritatem sequuntur* ea, qua decet, brevitate orationem finiunt. ceterum *sequantur,* quod libri habent, aperte falsum est; ab hac enim iuris confidentia longe coniunctivus abhorret. Sed utrum *defendent — sequentur,* an *defendunt — sequuntur,* an denique *defendunt — sequentur* scribendum sit, haereo. Talia enim non ratione, sed sensu quodam satis incerto pensantur.

vos aequum est) sic R., cet. *nos.* — *dispicere)* despicere L. l. A. — *valuit) voluit* R. S. — *non omnia)* sic l. A. S. E. *nomina* A. R. *non nomina* V.

IX. *Synoeciosis.*) sic R. S. *Syncineuosis* L. l. V. *Sysceuasis* E. A. — *opinioni*) sic R., cet. *opinione.* — *prodigam*) *pergam* O. egregie emendavit V. D. in marg. R. — *non credideris*) corr. Rk. *ne;* sed *non* in optativa oratione recte habet. — *Sc. matre et barb.*) *et* om.

O. ego interposui; duplici adiectivo respondent proxima: *bonus et clemens*, more Rutilii; itaque nolim vocem *barbara* inducere cum Rk.; neque recte aliquis suspicabitur: *quod Scytha, matre barbara natus;* nam si Scytha viri nomen esset, propius admovisset *natum: Scytha, matre natus barbara.* praeterea obstant praecedentia, *matre Scytha natum.* — *bonus et cl.*) *novus et cl.* V. — *evaserit*) *evaserat* R.

severum) *severe* S. — *nunquam* — *habeamus*) *namque* — *habemus* O. emend. Rk. praeterea *eiusmodi* R., quod assumit Rk., contra Rutilii morem, qui semper *huiusmodi;* cf. ad I, 16. Sed nondum persanatum esse locum, si quid aliud certum est. Nam vides Demosthenem *communi opinioni cum ratione adversari* inde ab initio: *At ego* etc. Quo igitur pertinet altera ab eadem persona exorsa adversatio: *Ego contra* etc.? et quae plane idem ponit, quod posuerat prior? Ac simplicissimum foret statuere, nos hic exempla habere duo dividenda per *aut. signum malitiae videtur.* Aut: *Ego contra deos* etc. Sed ne quem ea simplicitas decipiat. Nam quid attinebat duo exempla protulisse, ita similia, ut nulla in re distarent? Deinde, quod maius est, quid faciemus exemplo dimidiato? Hic enim nihil adversationis, nihil rationis, merae sunt preces, quas quivis fundat. Nam civem *in omnes partes* inexorabilem quivis deprecetur. Potius Demosthenes, postquam contra communem omnium opinionem severitatem exagitavit, eiusmodi precibus orationem eam ancipitem stabilire callide studet, quas omnes exaudiri velint. Est igitur haec orationis praecedentis pars necessaria, sed ita corrigenda: *Ergo cunctos Deos precor* etc. *cunctos*, *τοῖς θεοῖς πᾶσι καὶ πάσαις εὔχομαι.*

X. *Aporia. dicamus*) *dicimus* O. corr. S., frustra obnitente Rk. — *flecti te posse*) *te* om. O. ego apposui. Nam non possunt desperare, *se ipsos* posse flecti; et sequentia, *tua facultas nos affligit*, aperte monstrant, ad quem *flecti* pertineat. — *acerba ac nimium tua facultas*)

Sic

Sic libri; *nimium dura f.* corr. V. D. ad marg. R. *nimium tuta* S. Sed ita nobis schema eripitur; nam ipsum id verbum, *ac nimium tua f.* aporiam in se habet; non enim reperit, quomodo eam dicendi facultatem, qua affligebatur, digne nominet, i. e. sine offensione eius quem flectere cupit; itaque *nimium tua*, inquit, i. e. tibi apta nimis f. Apertior etiam erit figura, si nomina propria ponas loco pronominis, veluti: Ita nos acerba tua, Tulli, ac nimium Tulliana oratio affligit. Sed ut ad eam descriptionem venire posset, debebat idem pronomen praecedere; itaque scripsi, *acerba tua ac nimium tua.* — *affligit*) *affliget* libri, corr. S.

Non hoc est) haec libri; *hoc* unus L. servavit, quod non recte sprevit Rk. nam ipsum *hoc* aporiam in se habet. — *imponam nomen) nomen* om. O. addidit Rk. — *ingenii miseria) ingenti* coni. Rk. Sed quid hoc est, *aerumnae magnitudo ingenti miseria fortunae crudelitatem superat?* Praeterea, ne vagum exemplum sit, certa calamitas nominanda est, eaque, quae fortunae opponatur, in nobis sita; ac talis est *miseria ingenii.* Nimirum calamitas, quae in ingenium cadat, est ingenium deminutum, fractum. delirus aliquo casu factus fuerat, de quo sermo hic est. neque quisquam haereret, si legeremus: *omnem fortunae superbissimam crudelitatem ingenium hebetatum et fractum superarit.* Nunc quia propter orationis naturam *miseriae* nomen praeter loquendi consuetudinem erat apponendum, interpretes non recte moventur, dum omnia quaeque exigere ad consuetudinem cupiunt.

XI. *Parasiopesis. quae illi saepe*) *quae* om. O. addunt S. E. — *et quae novissime) ut quae* R. quem perperam sequitur Rk. — *nihil agis) n. agas* V.

XII. *Paromoeon. quid intersint) quid intersit et* R. quem, dum pro codicis lectionibus habet Rhenani inventa, in Rutilio quidem non semper felicia, Rk. non bene sequitur. — *hoc parom.) parom. hoc* S. — *dispu-*

tandi) fortasse *disceptandi;* id enim verbum proprie *armis* opponitur.

XIII. *Omoeoptoton. cum praesto est) cui* R. quod recepit Rk. ego ceterorum librr. auctoritatem praefero. — *assentiuntur) assentantur* coni. Rk. Ac iure quidem, ut nunc mihi videtur; et erat ea correctio recipienda. Obstabat, quo minus reciperem II, 19.: *Quod vobis in suadendo assentiuntur, vos fallere possunt.* — *contristaverit) contra flaverit* coni. Rk.

XIV. *Omoeoteleuton.* Polyptoton hic apparet; homoeoteleuton non item. Gesn. Sed ex definitione Rutilii omnia recte habent.

XV. *Isocolon. Hoc aut duobus) autem* O. corr. Rk. — *exigitur)* recte explicat Gesn.: examinatur, i. e. librato pondere exaequatur; quod pondus hic ad aequa cola refertur; tamen coni. *efficitur* Rk. — *mihi dives est) dives* om. O. addidit R. *par* E. praebet. — Item. *Seorsum) Item* om. O. addidit Rk. *Seorsum* an latine dicatur pro, *aliud est*, dubitat Rk. Ob similem dubitationem V. D. in marg. R. coni. *diversum est.* Ego qui similiter locutus sit, invenio neminem; sed posse ita dici, dubium non est; et sunt alia Rutilii propria. Proxime accedit Plautinum, *seorsum sentio.* — *iniuriam) et iniuriam* S. — *extemplo benivolentiam* [intendimus]*) intendimus* om. O. Deesse verbum S. vidit, et addidit *acquirimus.* Rk. placet, *adiungimus;* exemplo usus Cic. pro Muren. 20. Sed illic ad offensionem vitatam praetor *adiungit* benivolentiam. Hic benivolentia est ante vitatum odium. Idque vitatum odium lente inducitur, quasi minimum pretium: *duntaxat odium vitamus*, eique magna cum laude opponitur beneficio parata benivolentia; itaque ut lente ante, *dumtaxat — vitamus*, ita nunc celerrimis pedibus, *extemplo*, ait, *benivolentia.* Erat igitur ex Rutilii more verbum quaerendum, quod et incessu et sententia magnum in se haberet vigorem; id quod neque in inventum Stephani *acquirimus* cadit, neque in Ruhnkenii *adiungimus;* cadit autem in vocem, quam ego apposui

intendimus, quae propter similitudinem *benevolentiae* a librario male omissa est. Videtur autem eo verior ea vox, quia alliterationem studiose ambit Rutilius; itaque praetuli aliis, veluti *incendimus*. Quamquam periculosam esse etiam illam correctionem non ignoro. ceterum pro *extemplo*, *extimplo* L. *exemplo* l. E. V. A.

XVI. *Antitheton. pluribus modis) pl. moribus* L. l. V. — *Hunc omnes — conquirebant)* verba media ego interposui. Nam quaedum excidisse monstrat *alter alteri* oppositus, deinde *huius* — *illius*. Igitur hic librarius haud dubie a nomine, *omnes* ad *omnes* proxime insequens aberrans ea omnia omisit, quae ad *hunc* pertinebant, et ea tantum scripsit, quae *in illo* erant commemoranda. Verba ipsa, quae adscripsi, quam prope ad Rutilii manum accedant, non praestiterim. S. supplet: *Hunc omnes conquirebant*, *illum vitabant*, *ne* etc. Ubi *conquirebant hunc* aperte falsum est. Neque tamen id iure exagitans Ruhnkenius verius coniicit: *At hunc omnes concurrebant*, *ne ab eo* [i. e. ab altero] *viderentur*. Nam et sententia obstat, et usus pronominum.

Tunc facile) tum f. R. — *benigne fecissem) benigne* om. R. unde *bene* addit S. — *Tunc ego ipse) ipse* om. l. — *genus huius.) Est etiam genus huiusmodi* coni. S., idque placet Ruhnkenio; non recte; nam non novum antitheti genus hic apponitur, sed est haec generis proxime praecedentis nova species, siquidem in una persona utrumque genus versatur. — *priori verbo [contrarium quod est] inferri et coniungi solet*) *contrarium quod est* uncis inclusi, tanquam glossema *inferendi*, quod ubique est apud Rutilium *opponere* in antitheto. Idem fere sensisse videtur V. D. in marg. R., qui scribit: *quo in eadem sententia priori verbo contrarium inferri et coniungi solet*. Diutius haesi in corrigendo infinitivo *inferri*. nam codices habent *infert*, quod putabam, quantumvis miratus, intransitive a Rutilio poni. Sic enim in exemplo proximo: *Aliud est item, quod superiori infert*. Sed quum alibi personaliter et transitive legatur,

velut I, 19. *cum aliquot res adversario concedimus, deinde aliquid inferimus*, et cum hic oratio sic continuata: *et coniungi solet*, vix tempus finitum patiatur, etiam in eo verbo, quod receptum plane sit usu omnium; corrigendum putavi et hic *inferri*, et infra *infertur;* praesertim cum utroque loco in scribendi errorem *(infert)* incidere librario proclive esset. Est autem *inferri et coniungi* arctissime copulatum, ut exemplum docet. Nam dicitur contra *labores graves* frustra susceptos; sed iidem *labores graves*, quibus infertur, servantur et coniunguntur cum fructu voluptatis. itaque nihil moveor Rk. scrupulo, qui in verbo, *coniungi* vitium esse suspicatur, quia L. vocem omittit.

Non ille) Nam ille l. V. — *subibat, parabat) subibit*, *parabit* l. E. V. A. *subiret* R. verum servat L. — *infertur) infert* Libri; cf. supra. — *superiori) superiorem* R. — *consequenter)* add. *sententiam* S. — *Phalereus) Phalerius* libri, quod retinuit Rk.; sed cum idem nomen supra semper esset *Phalereus*, hic librariorum errorem iudicavi formam in *ius*. — *huius honoris) huiusmodi h.* L. — *superbiae nostrae* — *vestigium experiatur) vest. experitur* O. sed L.: *superbientem nemo vestigium experitur*. V. D. in marg. R. corrigit: *ne vestigium quidem experitur*. Rk.: *ne vestigium reperitur*. Sed ita quidem dicendi consuetudini aliquo modo satis est factum, — quamvis enim metaphoricus *vestigii* usus late pateat, tamen nos *experiri* posse *vestigium*, vehementer dubito; reliqui tamen id verbum, quia quod mihi placeret non potui invenire — ipsi vero schemati nequaquam ea coniectura consultum est. Ex schemate enim *superiori aliquid infertur*, *sed consequenter*. Iam unde *consequenter* coeptum sit dici, demonstrat *itaque*. Sed quid *inferatur*, frustra quaeras; siquidem etiam a particula *itaque* pendens oratio beneficia exponere Atheniensium pergit: amplissimus honor, superbiae vestigium nullum. Antitheton igitur ante omnia circumspiciendum erat; id itaque intuli corrigens: *nemo experiatur*. Sic

enim iam per summorum beneficiorum consequentiam, ne superbiant commonentur; id est opponitur ceteris meritis superbia, simulque non esse eam admittendam ex superioribus concluditur. Sed, ut dixi, persanatus nondum locus est; neque placet: *superbiae nostrae nemo ne stimulum experiatur*, et similia. Fortasse tamen erunt, qui *nemo fastidium experiatur*, probent.

XVII. *Epitrope.*) *Epicope* R. — *de nostro iure) de* O. om. addit Caussinus. — *videatur) videtur* Libri; sed coniunctivus vel ab formulam iudicialem requiri necessario videbatur. — *atque eo) atque ei* S. *atque adeo* coni. Rk. ego similiter *eo* adverbialiter interpretandum puto, sed nihil corrigendum. — *quin etiamsi sit*) *sit* om. E. A. habent *sit*, sed om. *si* L. A. V. R. ego utrumque assumsi; S. correxit, *quin etiam si novum sit.* Rk. de loco desperat. Mihi res omnis expediri videtur, si verba a me addita, *instituatis, nedum,* propter syllabarum similitudinem, ut fit in his codd., omissa interponantur. Aliis fortasse ne eo quidem additamento opus esse videbitur. A quibus tamen dissentio. Nam exposuit Hyperides *ius suae causae legitimum;* non igitur potest id novum esse, quod e summo fit iure, nedum ut novum sit id, quod omisso iure concedat aequitas. Atque ut concedamus, novum plane fuisse, quod a iudicibus impetrare vellet Hyperides, non tamen nunc, ubi quod *aequissimum videretur* se postulare ait, novum id esse clamaret; sic quidem aequitatis et modestiae causam imprudenter omissurus. Itaque potest illud, *etiamsi sit novum instituendum,* tantum ideo esse additum, ut summa iudicum aequitatis confidentia monstraretur, quae ne novum quidem instituere reformidaret, nedum, quod communi omnium utilitati profuturum est. Sic quidem per ipsa ea verba callidissime iudicum voluntatem accendi, quae in hac figura maxime requiritur, apertum est. Praeterea si nihil omissum esset, non haec verba, *etiam si sit novum* praemisisset Rutil., sed ea, *libenter id quod postulo, etiamsi* etc., ut tamen aliquo modo vis novitatis frangeretur.

In addendis Rk. corrigit: *etiam si sit novum ius statuendum.*

XVIII. *Parrhesia. diligenter utendum) verendum* O. sed *ferendum* R., unde *faciendum* S. *utendum* corr. Gesner. *assimulandumque) que* om. O. ego addidi. — *vestram operam) vestra opera* O. corr. S. — *Athenienses) Quirites* O. correx. E. *viri Athenienses* R. — *Vos enim — credendo)* Sic L. l. V. A. *Vos enim defecitis temere omnibus credendo* E. *Vos enim defectis t. o. cr.* R., unde, *vos enim decepti estis t. o. cr.* S. Explicat orationem Rk., simul *enim* in *eam* mutans; quod non necessarium mihi videtur.

nocentibus remisse parcitis) paratis O. *remissionem paratis* S. *parcatis* V. D. in marg. R. *Nam cum — nocentibus poenam remittitis, paratum vos improborum studium* etc. Rk. Non recte. Nam praecedens oratio, ut parrhesian decet, per *vos* in iudices invehitur: *Sed vos, iudices, vos haec facere debetis.* Illud igitur *vos* hic etiam incipere orationem debet, *vos improborum studium* etc., quod tamen per Rk. eripitur; scripsi igitur *parcitis;* nam hanc orationem incitatam indicativus magis decet, quam V. D. coniunctivus *parcatis.*

XIX. *Aetiologia.) Etymologia* l. V. A. *Eteologia* R. *Aetiologia* corr. S. et servat L. confirmat Quinctil. IX, 3. Rk. —*) excidit nomen oratoris. *Idem: Quod vobis, viri Ath.* S. — *fallere possunt) poscunt* S. quod probat Rk., non recte, opponitur enim infra, decipi *non potestis.* — *obscurat veritatem quaest.) obscuratum erat quaest.* O. *obscurat omnem utilitatis inquisitionem* corr. S. Rk. Sensum, inquit, hunc esse puto: Nam assentatio latebat sub quaestione utilitatis. *Obscuratum erat*, occultatum, tectum erat. — Sed recte iam acutissimus Stephanus viderat, hic non aliquod factum describi, sed generalem sententiam exponi; ergo non imperfecto nos uti posse, *obscuratum erat*, sed praesenti *obscurat;* cetera licentius mutat; ego ex vitiosis *umerat*, *veritatem* inveni. Amari hoc verbum a Rutilio, et usum eius esse

liberiorem, quaevis pagina docet. — *non iucundum est) non* om. O. *iniucundum* S. *non iucundum* Rk. Quem sequor; negationes accumulare solet Rutil. — *Item eiusdem) eius* O. *eiusdem* Pithoeus. *Item aliud eiusdem* S. — *Nam fere)* Sic L. R. ceteri *fore.*

XX. *Taxis. Dinarchi) Timachi* L. l. R. *Timarchi* V. A. correxit Rk. — *iuxta)* ita L. l. V. ceteri *iusta*, et ita Rk. ego illorum librr. auctoritatem praefero.

EROTEMA. Eo utimur, ubi exacerbando aliquid interrogamus et augemus eius invidiam. Demosthenis: Itane vobis placet, Athenienses, rogo vos, otiose circulari et sciscitari e quolibet proximo: »Ecquid novi?« Quid vero magis novum, quam ab homine Macedone debellari Graeciam? »Obiit Philippus?« Non sane. »Sed aegrotat?« Quid vero vestra id interest? Cito enim, si quid huic acciderit, Philippum alterum invenietis, si porro tanta rempublicam geretis socordia.

PYSMA. Hoc vero fit, quum non incendendi, sed deliberandi causa aliquid proponimus interrogantes. Isocratis: Itaque cum bellum erit barbaris inferendum, quorum potius decet esse principatum? nonne eorum, qui bello superiore praeclarissime se gesserunt? qui et privatim saepe pro aliis dimicarunt et in communibus discriminibus primas meruerunt? Non eorum, qui pro Graeciae salute suam urbem deseruerunt? non eorum, qui et olim urbes plurimas condiderunt, et easdem denuo maximis e calamitatibus eripuerunt? An vero non iniquissime nobiscum agetur, qui maximam partem malorum exantlavimus, si in iudicio dignitatis minus honoris consequamur? et qui tum pro salute omnium in prima acie stetimus, nunc alios sequi cogamur?

APOSTROPHE. Hoc fit, cum convertimus orationem ad reum a iudice, cum illa tamen, quibus adversarium adloquimur, iudici alligentur, uti facit Dinar-

chus: Nihilo tamen secius circuit apud omnes Demosthenes et exsecratur iudicium, de se autem ea praedicat, quae apud vos etiam, Athenienses, vos decepturus postmodo fortasse proferet; veluti, Ego sum, inquit, qui vobis Thebanos socios feci. Non fecisti, sed communem utrique civitati utilitatem conculcavisti, Demosthenes. Ego unus Chaeronensem aciem instruxi. Non sane, sed unus illam aciem deseruisti. Ego multas pro republica legationes obivi. De quibus, si prospere successissent, audire profecto vellem, quid esset acturus et quae facturus verba, quum nunc, ubi miseriis atque aerumnis orbem terrarum obiens implevit, summis se praemiis condecorandum clamet. Idem alio loco: Namque ex praeteritis, Athenienses, futura coniicere licet. Igitur cum Alexander apud Indos, ut erat fama, versaretur, cuncta autem Graecia propter multos istos in singulis civitatibus proditores, rerum praesentium odio, in aliquam urgentium malorum declinationem esset erecta, quid igitur ea temporum opportunitate ille Demosthenes, qui in concione et in senatu regnat, qui taedere se rerum nunc institutarum mox clamabit, qualem se praebuit? Nolo iam a te exspectare, ut aliquod ipse periculum subeas, sed ecquam tu legem tulisti de ullo periculo? Ecquod tuum consilium aperuisti? Ecquam contribuisti pecuniam? ecqua vel minima parte utilem te eis praebuisti, qui reipublicae salutem curant? Omnium earum rerum nihil fecisti, sed circumvolitavisti verborum artifices colligens, et suo ipsius nomine scribens epistolam urbisque detrectans gloriae digitis suspensus declamitabat.

